De extispicio capita tria

scripsit et imaginibus illustravit

Georgius Blecher

accedit de Babyloniorum extispicio

Caroli Bezold supplementum



GISSAE

IMPENSIS ALFREDI TOEPELMANNI

MCMV

RELIGIONSGESCHICHTLICHE VERSUCHE UND VORARBEITEN

herausgegeben
von
Albrecht Dieterich und **Richard Wünsch**
in Heidelberg in Gießen

II. Band 4. Heft

Mit Titelbild, 2 Abbildungen im Text und 3 Tafeln

De haruspicum disciplina, secundum quam extispicium quoque perficitur, permulti adhuc egerunt philologi [1]), quoniam is, qui recte cognoscere studet mores et Romanorum et Graecorum, nullo modo varia divinandi genera apud nationes illas usitata silentio praeterire potest. Ne tamen quis putet acta me acturum esse, liceat mihi praemittere omnes fere, quorum hac de re exstant disputationes, aut de aliis divinandi rationibus aut de fulminum prodigiorumve procurationibus praecipue disseruisse, extispicium autem adeo non curasse, ut Deeckius iure dixerit [2]) nigra adhuc caligine premi extispicii leges. Attamen summi momenti fuit hoc ipsum extispicium apud Italos, de quo dicit Herodianus [3]): *μάλιστα τῇ σκέψει ταύτῃ πιστεύουσιν Ἰταλιῶται.* Sed non Italici solum populi, verum etiam Graeci aliaeque nationes, de quibus infra planius erit dicendum, summum momentum tribuerunt extis rite inspiciendis. Quo factum est, ut ei, qui de hac divinandi ratione fusius

---

[1]) Praeter eos, qui data opera de universa veterum religione egerunt, Iul. Caes. Bulenger, *De sortibus* in Graevii Thes. Antiqu. Rom. vol. V p. 361 seqq., Lugd. Bat. 1696; Phil. Jac. Hartmann, *De origine anatomicae*, Regiomontii 1683; J. Raven, *Haruspices Romae utrum natione Etrusci an Romani fuerint*, Gotting. 1822; P. Frandsen, *Haruspices*, Berol. 1823; G. Schmeisser, *Quaestionum de Etrusca disciplina particula*, Vratislav. 1872; P. Clairin, *De haruspicibus apud Romanos*, Paris 1880; G. Schmeisser, *Die Etruskische Disciplin*, Liegnitz 1881; idem, *Beitr. zur Kenntnis der Technik der Haruspices*, Landsberg a. W. 1884; A. Bouché-Leclercq, *Histoire de la divination dans l'antiquité* vol. IV, Paris 1880; Daremberg-Saglio, *Dictionnaire des antiquités* s. v. *Divination* et s. v. *Haruspices*.

[2]) Müller-Deecke, *Die Etrusker* II² p. 180.

[3]) VIII 3, 7.

disputarent, similitudine quadam Graeci usus et Romani commoti etiam ea, quae inter se pugnarent, coniectando et ratiocinando concinnare studerent, et utrumque uno e fonte vel adeo alterum ex altero derivarent. Ita Deeckius quoque, qui novissimus hac de re uberius disseruit in libro, qui inscribitur *Etruskische Forschungen* V p. 65 seqq., O. Muelleri probavit sententiam Graecorum Romanorumque de extispicio leges plane inter se conspirasse. Praeterea autem concludit contra Muellerum e testimoniis quibusdam de orientalium qui vocantur populorum extispicio nobis servatis ex orientis regionibus h. e. e Mesopotamia oriundam esse extispicii artem. Haec vero nos quidem saepius eandem quaestionem animo versantes comprobare non possumus. Qua de causa iterum de extispicio instituimus disquisitionem. Ac primo huius dissertatiunculae capite per temporis ordinem collegimus, quantum fieri potuit, omnia testimonia Graeca et Romana [1]), ut accuratius denuo inter se comparari possent; qua in re speramus neque multa neque gravia nos fugisse. Capite altero de antiquorum sententiis et interpretamentis, quae sunt de extispicio, referemus. Denique, quid nobis de extispicii origine ac vi censendum sit, exponemus capite tertio.

[1]) Romanos plurima Etruscis debuisse iam hoc loco moneam; nam Romanorum extispices Etruscos fuisse natione J. Ravenius demonstravit dissertatione s. l.

CAPUT PRIMUM

A

TESTIMONIA RITUS GRAECI

Aeschylus Prom. 495 seqq. K.:

Σπλάγχνων τε λειότητα, καὶ χροιάν τίνα
ἔχοντ᾿ ἂν εἴη δαίμοσιν πρὸς ἡδονήν,
χολῆς λοβοῦ τε ποικίλην εὐμορφίαν
. . . δυστέκμαρτον εἰς τέχνην
ὥδωσα.

Schol. rec. ad v. 484 extr. ed. Guil. Dindorf: *Σχίζοντες γὰρ μέσον τὰ ἱερεῖα ἔβλεπον τὴν θέσιν τῶν ἐντοσθίων πάντων καὶ ἐκ τούτου ἐτεκμαίροντο τὰ μέλλοντα γενέσθαι. ὁμοίως δὲ καὶ ἀπὸ τῆς χολῆς, ἥτις ἐκβληθεῖσα καὶ ἀνατιναγεῖσα πρὸς τὸ τῶν πολεμίων μέρος ἧτταν τούτων ἐσήμαινεν.*

Herod. VI 82: *Ἔλεξε δ᾿ ὦν φάμενος (ὁ Κλεομένης), ἐπείτε δὴ τὸ τοῦ Ἄργου ἱρὸν εἷλε, δοκέειν οἱ ἐξεληλυθέναι τὸν τοῦ θεοῦ χρησμόν· πρὸς ὦν ταῦτα οὐ δικαιοῦν πειρᾶν τῆς πόλιος, πρίν γε δὴ ἱροῖσι χρήσηται καὶ μάθῃ εἴτε οἱ ὁ θεὸς παραδιδοῖ εἴτε οἱ ἐμποδὼν ἕστηκε. καλλιρευμένῳ δὲ ἐν τῷ Ἡραίῳ κτλ.*

Herod. VII 134: *Τοῖσι Σπαρτιήτῃσι καλλιρῆσαι θυομένοισι οὐκ ἐδύνατο.*

Herod. IX 19: *Ἐκ δὴ ὦν τοῦ Ἰσθμοῦ καλλιρησάντων ἱρῶν ἐπορεύοντο πάντες (οἱ Πελοποννήσιοι) καὶ ἀπικνέονται ἐς Ἐλευσῖνα. ποιήσαντες δὲ καὶ ἐνθαῦτα ἱρά, ὥς σφι ἐκαλλιρέετο πρόσω ἐπορεύοντο.*

Herod. IX 36: *Οὗτος δὴ τότε τοῖσι Ἕλλησι ὁ Τισαμενός . . . ἐμαντεύετο ἐν τῇ Πλαταιΐδι. τοῖσι μέν νυν Ἕλλησι καλὰ ἐγίνετο τὰ ἱρὰ ἀμυνομένοισι, διαβᾶσι δὲ τὸν Ἀσωπὸν καὶ μάχης ἄρχουσι οὔ.*

Herod. IX 37: *Μαρδονίῳ δὲ προθυμεομένῳ μάχης ἄρχειν οὐκ ἐπιτήδεα ἐγίνετο τὰ ἱρά, ἀμυνομένῳ δὲ καὶ τούτῳ καλά· καὶ γὰρ οὗτος Ἑλληνικοῖσι ἱροῖσι ἐχρᾶτο.*

Plut. Arist. 18: *Δυσφορῶν οὖν ὁ Παυσανίας τοῖς παροῦσι, ἄλλα τοῦ μάντεως ἐπ' ἄλλοις ἱερεῖα καταβάλλοντος, τρέπεται πρὸς τὸ Ἡραῖον τῇ ὄψει δεδακρυμένος καὶ τὰς χεῖρας ἀνασχὼν εὔξατο Κιθαιρωνίᾳ Ἥρᾳ καὶ θεοῖς ἄλλοις, οἳ Πλαταιΐδα γῆν ἔχουσιν . . . ταῦτα τοῦ Παυσανίου θεοκλυτοῦντος ἅμα ταῖς εὐχαῖς ἐφάνη τὰ ἱερὰ καὶ νίκην ὁ μάντις ἔφραζε.*[1])

[1]) Herodotus, ubi de eadem re disputavit (IX 61), *σφάγια* Pausaniam fecisse memoriae tradidit. Plutarchus pro voce *σφάγια* substituit *ἱερά*. Unde concludendum est eum iam non intellexisse, quid intersit inter *σφάγια* et *ἱερά*, quae Xenophon talium rerum haud imperitus (Anab. V 6, 29) acriter discernit (Anab. I 8, 15; VI 5, 8 et 21). Ergo *τὰ σφάγια* non spectant ad extispicium sicut *τὰ ἱερά*, quae ad hoc divinandi genus adhibita fuisse eo demonstratur, quod *ἄλοβα* saepius vocantur (Xen. Hell. III 4, 15; IV 7, 7). Quo autem modo per *σφάγια* facta sit divinatio, expressis verbis a veteribus non explicatur. Quod P. Stengelius in *Hermae* vol. XXI 1886 p. 310 coniecit ex hostiae obsequio, quo aram adiret, futura cognita esse, spectat non solum ad *σφάγια* sed ad omnia sacrificia (Macr. Sat. III 5, 8), et eorum in numero ominum habendum est, quae fieri solebant in rebus sacris. Hoc modo rem non dirimi Stengelius ipse postea concessit in libro suo *Griech. Kultus-Altert.* p. 44. Non multo aliter se habet, quod in eiusdem libri edit. alt. p. 57 protulit praecipue observatum esse, quomodo iecur flammis iniectum combureretur (cf. *Herm.* vol. XXXI 1896 p. 478 seqq.). E nostra sententia haec divinandi ratio definiatur e verbis *σφάζειν, ἐντέμνειν* aliis similibus. *σφάζειν* enim vox in glossario Stephani ex Il. III 454 sic explicatur: cultro iugulum aperire, ut effluat sanguis. Quae interpretatio optime illustratur Soph. Ai. 299: *τοὺς μὲν* (sc. *ταύρους*) *ηὐχένιζε, τοὺς δὲ* (sc. *κύνας*) *ἄνω τρέπων ἔσφαζε.* Scholiasta h. l. addidit: *ἄνω τρέπων*] *ὅπερ Ὅμηρος αὖ ἐρύειν φησὶ ὥστε κατὰ τοῦ λαιμοῦ γίνεσθαι τὴν σφαγήν.* Accedunt glossae apud Hesychium servatae: *σφαγεῖον πρόβατον, θῦμα ἢ ἐν ᾧ τὸ τῶν ἱερείων ὑποδέχεται αἷμα τόπος* (cf. Suidam et Et. Magn. s. v.) et: *σφαγή ὁ κατὰ τὴν κατακλεῖδα τόπος.* Vox *ἐντέμνειν* saepius ad *σφάγια* relata occurrit eodem sensu adhibita; vide quae Stengelius exposuit in ephemeride

Plut. Cim. 18: *Αὐτοῦ τῷ Διονύσῳ θύσαντος . . . παρῆν ὁ θύτης ἐπιδεικνύμενος αὐτῷ τὸν λοβὸν οὐκ ἔχοντα κεφαλήν*[1]) . . . *ἐπύθοντο τεθνάναι τὸν Κίμωνα.*

Herod. IX 95: *Δηΐφονος ἐὼν παῖς τοῦ Εὐηνίου (ἀνδρὸς Ἀπολλωνιήτεω) ἐμαντεύετο τῇ στρατιῇ* . . 96: *τοῖσι δὲ Ἕλλησι ὡς ἐκαλλίρησε, ἀνῆγον τὰς νέας ἐκ τῆς Δήλου πρὸς τὴν Σάμον.*

Eur. El. v. 826 seqq.:

. . . *Ἱερὰ δ᾽ εἰς χεῖρας λαβὼν*
Αἴγισθος ἤθρει· καὶ λοβὸς μὲν οὐ προσῆν
σπλάγχνοις, πύλαι δὲ καὶ δοχαὶ χολῆς πέλας
κακὰς ἔφαινον τῷ σκοποῦντι προσβολάς.

Zeitschr. für das Gymn.-Wesen vol. XXXIV 1880 p. 737 sequentibus. Iam satis clare elucet haec verba usurpari, ubi sanguis e iugulo effluat. Stengelii sunt verba ipsa: *σφάγιον heißt nichts anders als Blutopfer* (*Herm.* vol. XXI 1886 p. 307 adnot.; cf. *Herm.* vol. XXV 1890 p. 322). Nonne veri est simillimum Graecos, cum *σφάγια* deis offerebant, e sanguine effluenti futura cognovisse eodem fere modo ac Romani et Germani et Galli? Cuius rei testes sunt Sen. Oed. 345 seqq.; Luc. Phars. I 615; Plin. Paneg. Trai. 5; Strabo VII 2, 3; Diod. V 31. Plane comprobari nobis quidem videtur haec coniectura verbis *ἐσφαγιάσαντο εἰς τὸν ποταμόν* (cf. Herod. VII 113; Xen. Anab. IV 3, 18). Nam is ritus alibi quoque ad divinationem spectat, id quod docemur eis quae legimus in ephemeride *Himalayan Journal* I p. 129: *In these office the Bijova of the Lepchas is employed, but the Limboo has also priests of his owen, called ‚Phedangbos,' who belong to rather a higher order than the Bijovas. They officiate at marriage, when a cock is put into the bridegroom's hand, and a hen into those of the bride, the Phedangbo then cuts off the birds heads, when the blood is caught on a plantain leaf and runs into pools from which omens are drawn.* Iam plane intellegimus cur *σφάγιον* de homine deis oblato praecipue usurpetur (*Herm.* XXI p. 308). Nam e sanguine effluenti Graecos eodem modo atque Gallos et Germanos futura praenuntiasse licet conicere (Strabo et Diod. l. l.). Praeterea confirmatam videmus coniecturam nostram scholio ad Eur. Phoen. 174 de voce *σφάγια* adiecto: *αἱ ῥύσεις τῶν αἱμάτων προσφιλεῖς εἰσιν αὐτῷ ἐπὶ τῆς γῆς.* horum similia leguntur Eur. El. 513. Ergo *σφάγια* et *ἱερά* accurate disiungenda sunt. Tamen addere liceat vocem *καλλιερέω* per originem ad *ἱερά* tantum spectantem ad *σφάγια* quoque saepius translatam esse (Herod. VI 76; VII 113). Eodem modo vox *σφάγια* ad varias hostias translata occurrit (*Herm.* XXI l. l.; Philostr. vit. Apoll. VIII 7, 15).

[1]) Vide infra p. 26.

Thuc. IV 92, 7: *Τοῖς ἱεροῖς δ' ἡμῖν θυσαμένοις* ***καλὰ φαίνεται****, ὁμόσε χωρῆσαι* ...

Xen. Anab. I 8, 15: *Ὁ δὲ (Κῦρος) ἐπιστήσας* ***εἶπε καὶ λέγειν ἐκέλευσε πᾶσιν****, ὅτι καὶ* ***τὰ ἱερὰ καλὰ καὶ τὰ σφάγια καλά****.*

Xen. Anab. II 2, 3: *(Κλέαρχος) ἔλεξε τοιάδε·* ***ἐμοὶ*** *...* ***θυομένῳ ἰέναι ἐπὶ βασιλέα οὐκ ἐγίγνετο τὰ ἱερά*** *...* ***ἰέναι δὲ παρὰ τοὺς Κύρου φίλους πάνυ καλὰ ἡμῖν τὰ ἱερὰ ἦν****. ὥδ' οὖν χρὴ ποιεῖν.*

Xen. Anab. V 2, 9: *Ὁ* ***Ξενοφῶν*** *συνεχώρησε* ***τοῖς ἱεροῖς πιστεύσας****·* ***οἱ γὰρ μάντεις ἀποδεδειγμένοι ἦσαν, ὅτι μάχη μὲν ἔσται, τὸ δὲ τέλος καλὸν τῆς ἐξόδου****.*

Xen. Anab. V 4, 22: *Τῇ δὲ ὑστεραίᾳ* ***θύσαντες ἐπεὶ ἐκαλλιερήσαντο****, ἀριστήσαντες, ὀρθίους τοὺς λόχους ποιησάμενοι* ... ***ἐπορεύοντο****.*

Xen. Anab. V 6, 28: *(Ὁ* ***Ξενοφῶν*** *εἶπε·) καὶ νῦν ἐθυόμην* .. 29: *Σιλανὸς δέ μοι* ***ὁ μάντις ἀπεκρίνατο****, τὸ μὲν μέγιστον,* ***τὰ ἱερὰ καλὰ εἶναι· ᾔδει γὰρ καὶ ἐμὲ οὐκ ἄπειρον ὄντα διὰ τὸ ἀεὶ παρεῖναι τοῖς ἱεροῖς****. ἔλεξε δέ, ὅτι* ***ἐν τοῖς ἱεροῖς φαίνοιτό τις δόλος καὶ ἐπιβουλὴ ἐμοί****.*

Xen. Anab. VI 2, 15: *Ξενοφῶν* ... ***ἐπεχείρησεν*** ... ***ἐκπλεῦσαι. θυομένῳ δὲ αὐτῷ*** *τῷ ἡγεμόνι Ἡρακλεῖ καὶ κοινουμένῳ, πότερα λῷον καὶ ἄμεινον εἴη στρατεύεσθαι ἢ ἀπαλλάττεσθαι,* ***ἐσήμηνεν ὁ θεὸς τοῖς ἱεροῖς συστρατεύεσθαι****.*

Xen. Anab. VI 4, 9: *Ἐπ'* ***ἐξόδῳ ἐθύετο Ξενοφῶν*** ... *ἐπεὶ δὲ* ***τὰ ἱερὰ ἐγένετο****, εἵποντο καὶ οἱ Ἀρκάδες.*

Xen. Anab. VI 4, 13: ***Θυομένοις δὲ ἐπὶ τῇ ἀφόδῳ οὐκ ἐγίγνετο τὰ ἱερά****. ταύτην μὲν οὖν τὴν ἡμέραν ἐπαύσαντο.*

Xen. Anab. VI 4, 16: ***Θυομένῳ δὲ πάλιν εἰς τρὶς ἐπὶ τῇ ἀφόδῳ οὐκ ἐγίγνετο τὰ ἱερά****.*

Xen. Anab. VI 4, 17: *Εἶπε πάλιν Ξενοφῶν·* ... ***ἐπὶ μὲν τῇ πορείᾳ****, ὡς ὁρᾶτε,* ***τὰ ἱερὰ οὔπω γίγνεται· τῶν δὲ ἐπιτηδείων ὁρῶ ὑμᾶς δεομένους. ἀνάγκη οὖν μοι δοκεῖ εἶναι θύεσθαι περὶ αὐτοῦ τούτου****.*

Xen. Anab. VI 4, 19: Ἐπὶ δὲ τὰ ἐπιτήδεια ἀνάγκη ἦν ἐξιέναι. καὶ ἐπὶ τούτῳ πάλιν ἐθύετο εἰς τρίς, καὶ οὐκ ἐγίγνετο τὰ ἱερὰ ... ὁ δὲ (Ξενοφῶν) οὐκ ἂν ἔφη ἐξαγαγεῖν μὴ γιγνομένων τῶν ἱερῶν.

Xen. Anab. VI 5, 2: Πρῲ δ'ἀναστὰς Ξενοφῶν ἐθύετο ἐπ' ἐξόδῳ καὶ γίγνεται τὰ ἱερὰ ἐπὶ τοῦ πρώτου ἱερείου.

Xen. Anab. VII 6, 44: Ὁ δὲ (Ξενοφῶν)... δύο ἱερεῖα λαβὼν ἐθύετο τῷ Διὶ τῷ βασιλεῖ πότερά οἱ λῷον καὶ ἄμεινον εἴη μένειν παρὰ Σεύθῃ, ἐφ' οἷς Σεύθης λέγει, ἢ ἀπιέναι σὺν τῷ στρατεύματι. ἀναιρεῖ αὐτῷ ἀπιέναι.

Xen. Anab. VII 8, 10: Ὁ Ξενοφῶν ... ἐθύετο. καὶ Βασίας ὁ Ἠλεῖος μάντις παρὼν εἶπεν ὅτι κάλλιστα εἴη τὰ ἱερὰ αὐτῷ καὶ ὁ ἀνὴρ ἁλώσιμος.

Xen. Hell. III 1, 17: Ἐπεὶ δὲ θυομένῳ αὐτῷ (τῷ Δερκυλίδᾳ) οὐκ ἐγίγνετο τὰ ἱερὰ τῇ πρώτῃ, τῇ ὑστεραίᾳ πάλιν ἐθύετο. ὡς δὲ οὐδὲ ταῦτα ἐκαλλιερεῖτο, πάλιν τῇ τρίτῃ. καὶ μέχρι τεττάρων ἡμερῶν ἐκαρτέρει θυόμενος, μάλα χαλεπῶς φέρων· ἔσπευδε γὰρ πρὶν Φαρνάβαζον βοηθῆσαι ἐγκρατὴς γενέσθαι πάσης τῆς Αἰολίδος.

Xen. Hell. III 3, 4: Ἀγησιλάου θύοντος τῶν τεταγμένων τινὰ θυσιῶν ὑπὲρ τῆς πόλεως εἶπεν ὁ μάντις ὅτι ἐπιβουλήν τινα τῶν δεινοτάτων φαίνοιεν οἱ θεοί. ἐπεὶ δὲ πάλιν ἔθυεν, ἔτι δεινότερα ἔφη τὰ ἱερὰ φαίνεσθαι. τὸ τρίτον δὲ θύοντος, εἶπεν, Ὦ Ἀγησίλαε, ὥσπερ εἰ ἐν αὐτοῖς εἴημεν τοῖς πολεμίοις, οὕτω μοι σημαίνεται.

Xen. Hell. III 4, 15: Γενομένης δὲ ταύτης τῆς ἱππομαχίας θυομένῳ τῷ Ἀγησιλάῳ τῇ ὑστεραίᾳ ἐπὶ προόδῳ ἄλοβα γίγνεται τὰ ἱερά. τούτου . . . φανέντος στρέψας ἐπορεύετο ἐπὶ θάλατταν.[1])

Xen. Hell. IV 4, 5: Θυομένοις δὲ τοιαῦτα ἦν τὰ ἱερὰ ὥστε οἱ μάντεις ἔφασαν ἄμεινον εἶναι καταβαίνειν ἐκ τοῦ χωρίου.

---

[1]) Cf. Plut. Ages. 9.

Xen. Hell. IV 7, 7: (Ἀγησίπολις) βουλόμενος τειχίσαι φρούριόν τι . . . ἐθύετο· καὶ ἐφάνη αὐτῷ τὰ ἱερὰ ἄλοβα . . . ἀπήγαγε τὸ στράτευμα.

Xen. Hell. IV 8, 36: Ὁ Ἀναξίβιος ἀπεπορεύετο, ὡς μὲν ἐλέγετο, οὐδὲ τῶν ἱερῶν γεγενημένων αὐτῷ ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ.

Xen. Cyrop. II 4, 18: Ὁ δὲ Κῦρος ἐθύετο ἐπὶ τῇ πορείᾳ . . . γίγνεται τῷ Κύρῳ τὰ ἱερά, ἐπὶ τὸν Ἀρμένιον ἰέναι, καλά.

Polyaen. Strat. III 9, 8: Οἱ μάντεις καλὰ τὰ ἱερὰ προὔλεγον. ἀλλ' οὐκ ἔκρινε παρατάξασθαι (Ἰφικράτης).

Polyb. VII 11: Φιλίππου τοῦ βασιλέως Μακεδόνων τὴν τῶν Μεσσηνίων ἀκρόπολιν κατασχεῖν βουλομένου . . . καὶ θύοντος (τῷ Διί) . . . κατὰ τὸν ἐθισμὸν ἐκ τῶν τυθέντων ἱερείων προσενεχθέντων αὐτῷ τῶν σπλάγχνων, δεξάμενος εἰς τὰς χεῖρας καὶ βραχὺ διακλίνας ἤρετο προτείνων τοῖς περὶ τὸν Ἄρατον, τί δοκεῖ τὰ ἱερὰ σημαίνειν, πότερον ἐκχωρεῖν τῆς ἄκρας ἢ κρατεῖν αὐτῆς.

Polyaen. Strat. IV 3: Ἀλέξανδρος ὁπότε παρὰ τῶν μάντεων ἤκουε καλὰ γεγονέναι τὰ ἱερά, περιφέρειν ἐκέλευε τὰ ἱερεῖα καὶ δεικνύναι τοῖς στρατιώταις.

Arrian. Anab. IV 4, 3: Θυομένῳ δὲ (τῷ Ἀλεξάνδρῳ) ἐπὶ τῇ διαβάσει τὰ ἱερὰ οὐκ ἐγίγνετο. ὁ δὲ βαρέως μὲν ἔφερεν οὐ γιγνομένων, ὅμως δὲ ἐκαρτέρει καὶ ἔμενεν. ὡς δὲ οὐκ ἀνίεσαν οἱ Σκύθαι, αὖθις ἐπὶ τῇ διαβάσει ἐθύετο· καὶ αὖ ἐς κίνδυνον αὐτῷ σημαίνεσθαι Ἀρίστανδρος ὁ μάντις ἔφραζεν. ὁ δὲ κρεῖσσον ἔφη ἐς ἔσχατον κινδύνου ἐλθεῖν ἢ κατεστραμμένον ξύμπασαν ὀλίγου δεῖν τὴν Ἀσίαν γέλωτα εἶναι Σκύθαις . . . Ἀρίστανδρος δὲ οὐκ ἔφη παρὰ τὰ ἐκ τοῦ θείου σημαινόμενα ἄλλα ἀποδείξασθαι, ὅτι ἄλλα ἐθέλει ἀκοῦσαι Ἀλέξανδρος.[1]

Curt. Ruf. Hist. Alex. VII 7, 8: (Alexander) qui post Dareum victum hariolos et vates consulere desi-

[1]) Cf. Arrian. Anab. V 3, 6.

erat, rursus ad superstitionem... revolutus Aristandrum... explorare eventum rerum sacrificiis iubet. Mos erat haruspicibus, exta sine rege spectare et, quae portenderentur, referre... 22: Aristander occurrerat, tristia exta fuisse significans . . . 29: Consultanti inde . . . quonam modo flumen transirent, supervenit Aristander, non alias laetiora exta vidisse se adfirmans, utique prioribus longe diversa: tum sollicitudinis causas adparuisse, nunc prorsus egregie litatum esse.

Plut. Alex. 73: *Ἔπειτα μηνύσεως γενομένης κατὰ Ἀπολλοδώρου τοῦ στρατηγοῦ τῆς Βαβυλῶνος, ὡς εἴη περὶ αὐτοῦ τεθυμένος, ἐκάλει Πυθαγόραν τὸν μάντιν . . . ἠρώτησε τῶν ἱερῶν τὸν τρόπον. φήσαντος δέ, ὅτι τὸ ἧπαρ ἦν ἄλοβον· ‚παπαῖ', εἶπεν ‚ἰσχυρὸν τὸ σημεῖον'.*[1])

Arrian. Anab. VII 18, 2 seqq.: *Θύεσθαι δὴ τὸν Πειθαγόραν πρῶτα μὲν ἐπὶ τῷ Ἡφαιστίωνι . . . ἐπὶ τοῦ ἥπατος τοῦ ἱερείου ὁ λοβὸς ἀφανὴς ἦν . . . τελευτῆσαι Ἡφαιστίωνα* . . . 3: *αὖθις δὲ θύεσθαι τὸν Πειθαγόραν ἐπὶ τῷ Ἀλεξάνδρῳ καὶ γενέσθαι καὶ ἐπ' Ἀλεξάνδρῳ ἄλοβον τὸ ἧπαρ τοῦ ἱερείου* . . . 4: *Ἀλέξανδρος . . . ἤρετο ὅτου γενομένου αὐτῷ σημείου . . . τὸν δὲ εἰπεῖν, ὅτι ἄλοβόν οἱ τὸ ἧπαρ ἐγένετο τοῦ ἱερείου. ἐρομένου δὲ ὅ τι νοοῖ τὸ σημεῖον μέγα εἰπεῖν εἶναι χαλεπόν* . . . 5: *καὶ Περδίκκᾳ δὲ μαντεύσασθαι αὐτὸν . . . καὶ Ἀντιγόνῳ χρόνῳ ὕστερον. καὶ τοῦ αὐτοῦ σημείου ἀμφοῖν γενομένου Περδίκκαν . . . καὶ Ἀντίγονον . . . ἀποθανεῖν.*

Plut. Pyrrh. 30: *Τῷ δὲ Πύρρῳ προείρητο ἐκ τῶν ἱερῶν ἀλόβων γενομένων ὑπὸ τοῦ μάντεως ἀποβολή τινος τῶν ἀναγκαίων, . . . αὐτὸς δὲ τὴν στρατιὰν ὑπῆγεν.*

Plut. Arat. 43: *Καὶ τὸ σημεῖον ἀπέβαινεν, ὡς ὁ θεὸς ἐπὶ τῶν ἱερῶν ἔδειξε. λέγεται γὰρ οὐ πρὸ πολλοῦ θύοντι τῷ Ἀράτῳ δύο χολὰς ἐν ἥπατι φανῆναι μιᾷ πιμελῇ περιεχομένας· καὶ τὸν μάντιν εἰπεῖν, ὡς ταχὺ πρὸς τὰ ἔχθιστα καὶ πολεμιώτατα σύνεισιν εἰς ἄκραν φιλίαν. τότε μὲν οὖν παρήνεγκε τὸ ῥηθέν, οὐδὲ ἄλλως πολὺ νέμον πίστεως ἱεροῖς καὶ μαντεύμασιν, ἀλλὰ τῷ λογισμῷ χρώμενος . . . τότε δὴ τὸν*

[1]) Cf. Appian. bell. civ. II 152; Zonaras IV 14.

Ἄρατον ἀναμνησθέντα τῶν ἱερῶν ἐκείνων γέλως ἔλαβε καὶ διηγεῖτο τῷ βασιλεῖ τὸ σημεῖον καὶ τὴν προαγόρευσιν.

Paus. VI 2, 4: *Τοῦ Θρασυβούλου (τῶν Ἰαμιδῶν) ... τῇ εἰκόνι γαλεώτης πρὸς τὸν ὦμον προσέρπων ἐστὶ τὸν δεξιόν, καὶ κύων ἱερεῖον δὴ πάρ' αὐτῷ κεῖται διατετμημένος τε δίχα καὶ φαίνων τὸ ἧπαρ ... ἔοικεν οὖν ἰδίαν τινὰ ὁ Θρασύβουλος ἐπὶ σπλάγχνων μαντικὴν κυνείων καταστήσασθαι.*

Nic. Ther. 559 seqq.:

... ἢ ἀπὸ κάπρου
ἥπατος ἀκρότατον κέρσαι λοβόν, ὅςτε τραπέζης
ἐκφύεται, νεύει δὲ χολῆς σχεδὸν ἠδὲ πυλάων.

Schol. ad h. l.: *τράπεζα καὶ πύλη μέρη τινά εἰσιν ἐξημμένα τοῦ ἥπατος. τράπεζα, ὄνυξ, μάχαιρα, κάνεον.*

Poll. Onom. II 215: *Καλεῖται δὲ τοῦ ἥπατος τὸ μέν τι πύλαι, καθ' ἃς ὑποδέχεται τὸ αἷμα, ὅπερ διὰ μιᾶς φλεβὸς εἰς πάσας τὰς φλέβας ἀπ' αὐτῶν ἀναπέμπεται. τὸ δὲ λοβοὶ ἡπατίαι κτλ.*

Ruf. Ephes. de appellat. part. corp. hum. p. 38 (Clinch.): *(Τοῦ δὲ ἥπατος) ἐπὶ τοῦ μεγίστου λοβοῦ χολῆς ἀγγεῖον. τοῦ δὲ τὸ μέσον στενὸν αὐχήν. τὸ δὲ κάτω πυθμήν. πύλη δὲ ἥπατος ἡ φλέψ διὰ ἧς ἡ τροφὴ εἰσέρχεται. ἃ δὲ ἐν ἱεροσκοπίᾳ πύλας καὶ τράπεζαν καὶ μάχαιραν καὶ ὄνυχα καλοῦσιν, ἔστι μὲν καὶ ἐν ἀνθρώπῳ, ἀσαφῆ δὲ καὶ οὐκ εὔδηλα καὶ εἰς οὐδὲν ἰατρικὸν ἀναγκαίως ὀνομασθέντα.*

Hesychii Gloss.:

Ἀκέλευθα· ἄνοδα. καὶ ἐν θυτικῇ σημεῖον ὅταν μὴ ᾖ κέλευθος.

ἀντιστάτης· ὁ ἀνθεστηκὼς (ἐν) τῇ μάχῃ. καὶ σημεῖον ἐν θυτικῇ.

γλῶσσαι· φωναὶ καὶ σημεῖα ἐπὶ τοῦ ἥπατος παρὰ τοῖς θύταις.

δεξίς· τῶν ἐν τῷ ἥπατι μερῶν παρὰ τοῖς θύταις καλουμένη δοχή.

δοχή· *σημεῖον ἐν θυτικῇ.*
δεσμόν· ... *σημεῖον παρὰ τοῖς θύταις.*
δίοπτρα· *γεωμετρικὸν ὄργανον καὶ σημεῖον ἐν θυτικῇ.*
διόσκουροι· ... *καὶ σημεῖον ἐν θυτικῇ.*
διψάς· *ἔχις, ὕδρα. καὶ σημεῖον ἐν θυτικῇ ἐπὶ τοῦ ἥπατος.*
ἐγγύη· *γάμου ἀπογραφὴ καὶ σημεῖον ἐν θυτικῇ.*
δόλου τράπεζα· *ἐπὶ τοῦ ἥπατος σημεῖον ἐν θυτικῇ.*
ἐπίθεος· *σημεῖον ἐν θυτικῇ.*
θεός· *σημεῖον* ...
ἐπιλοβίς· *μέρος τοῦ ἥπατος.*
ἑστίας χῶρος· *μέρος τοῦ ἥπατος ἐν θυτικῇ.*
κανεῖν· *κτείνειν, ἀνελεῖν, ὅθεν τὸ κανοῦν ἀπὸ τῶν καινομένων ἱερείων.*
κωλυτής· *σημεῖόν τι ἐν θυτικῇ.*
ποταμός· ... *ἐπὶ τοῦ ἥπατος σημεῖον.*
τάφος· *σημεῖον.*[1])
λοβοί· *τὰ ἄκρα πάντα* ... *καὶ σημεῖον ἐν τῷ ἥπατι.*

Theophil. Protosp. de fabrica hum. corp. II 13 (p. 81 ed. Greenhill.): *Ἐνδέδυται δὲ τὸ ἧπαρ τὰς μὲν φλέβας καὶ τὰς ἀρτηρίας ἄνωθέν τε καὶ κάτωθεν, ἔξωθεν δὲ τὸ περιτόναιον, σχιζόμενον εἰς λοβοὺς τέσσαρας. καί τις ἀνὴρ τῶν μαθηματικῶν ἰατρῶν τοῖς λοβοῖς ὀνόματα προσηγόρευσε ταῦτα: τράπεζα, ἑστία, μάχαιρα, καὶ ἡνίοχος.*[2])

Suidas s. v.: *Ἧπαρ καὶ ἡπατοσκοπία, ἡ τῶν ἐγκάτων ἀνατομὴ δι' ὧν προεμήνυον τὰ συμβησόμενα. ἀνατέμνοντες γὰρ σημεῖά τινα ἐθεώρουν ἐν τοῖς ἐγκάτοις.*

B

TESTIMONIA RITUS ETRUSCI SIVE ROMANI

Liv. II 42, 10: Vates canebant publice privatimque, nunc extis nunc per aves consulti.

---

[1]) Photius lex. p. 571, 24: *τάφος ... καὶ τὸ παρὰ τοῖς θύταις σημεῖον.*

[2]) Fortasse ad *ἡνίοχον* referatur quod apud Hesychium legimus s. v. *ῥυτά*: *ἱερὰ τὰ ἡπατόσκοπα, ἢ τὰ ἑλκυστά*, coll. v. *ῥυτήρ*: *ἡνίον.*

Liv. V 21, 8: Inseritur huic loco fabula: immolante rege Veientium vocem haruspicis dicentis, qui eius hostiae exta prosecuisset, ei victoriam dari, exauditam in cuniculo movisse Romanos milites, ut adaperto cuniculo exta raperent et ad dictatorem ferrent.

Liv. VIII 6, 11: Hos ubi nocturnos visus inter se consules contulerunt, placuit averruncandae deum irae victimas caedi; simul ut, si extis eadem, quae somnio visa fuerant, portenderentur, alteruter consulum fata impleret.

Liv. VIII 9, 1: Romani consules, priusquam educerent in aciem, immolaverunt. Decio caput iocineris a familiari parte caesum haruspex dicitur ostendisse: alioqui acceptam dis hostiam esse; Manlium egregie litasse. ‚atqui bene habet', inquit Decius, ‚si a collega litatum est'.

Plut. Pyrrh. 25: *Τῶν ἱερῶν τῷ Μανίῳ (Κουρίῳ) γενομένων κτλ.*

Liv. XXVII 16 extr.: Fabio auspicanti, priusquam egrederetur ab Tarento, aves semel atque iterum non addixerunt. hostia quoque caesa consulenti deos haruspex cavendum a fraude hostili et ab insidiis praedixit.

Liv. XXVII 26 extr.: Immolasse eo die quidam prodidere memoriae consulem Marcellum, et prima hostia caesa iecur sine capite inventum, in secunda omnia comparuisse quae assolent, auctum etiam visum in capite; nec id sane haruspici placuisse, quod secundum trunca et turpia exta nimis laeta apparuissent.

Val. Max. I 6, 9: (Marcello immolante) quae prima hostia ante foculum cecidit, eius iecur sine capite inventum est, proxima caput iecinoris duplex habuit.

Plut. Marc. 29: *Μάρκελλος . . . λαβὼν τὸν μάντιν ἐθύετο. καὶ τοῦ πρώτου πεσόντος ἱερείου δείκνυσιν αὐτῷ τὸ ἧπαρ οὐκ ἔχον κεφαλὴν ὁ μάντις. ἐπιθυσαμένου δὲ*

τὸ δεύτερον ἥ τε κεφαλὴ μέγεθος ὑπερφυές ἀνέσχε καὶ τἆλλα φαιδρὰ θαυμαστῶς διεφάνη καὶ λύσιν ἔχειν ὁ τῶν πρώτων φόβος ἔδοξεν. οἱ δὲ μάντεις ταῦτα μᾶλλον ἔφασαν δεδιέναι καὶ ταράττεσθαι· λαμπροτάτων γὰρ ἐπ᾽ αἰσχίστοις καὶ σκυθρωποτάτοις ἱεροῖς γενομένων ὕποπτον εἶναι τῆς μεταβολῆς τὴν ἀτοπίαν.

Plin. N.H. XI 189: M. Marcello circa mortem, cum periit ab Hannibale, (caput iecoris) defuit in extis; sequenti deinde die geminum repertum est.

Liv. XXX 2 extr.: Consulum alteri primam hostiam immolanti caput iocineris defuit.

Liv. XXXI 5, 7: Cum renuntiassent consules rem divinam rite peractam esse et precationi adnuisse deos haruspices respondere, laetaque exta fuisse et prolationem finium victoriamque et triumphum portendi eqs.

Liv. XXXVI 1, 3: Ea omnia sacrificia laeta fuerunt, primisque hostiis perlitatum est, et ita haruspices responderunt, eo bello terminos populi Romani propagari, victoriam ac triumphum ostendi.

Liv. XLI 14 med.: Cn. Cornelio et Q. Petillio consulibus, quo die magistratum inierunt, immolantibus Iovi singulis bubus, uti solet, in ea hostia, qua Q. Petillius sacrificavit, in iocinere caput non inventum. id cum ad senatum rettulisset, bove perlitare iussus.

Liv. XLI 15 in.: Cn. Cornelius ... exposuit patribus conscriptis bovis sescennaris, quem immolavisset, iecur diffluxisse. id se ... victimario nuntianti parum credentem ipsum aquam effundi ex olla, ubi exta coquerentur, iussisse, et vidisse ceteram integram partem extorum, iecur omne inenarrabili tabe absumptum . . . alter consul curam adiecit, qui se, quod caput iocineri defuisset, tribus bubus perlitasse negavit. senatus maioribus hostiis usque ad litationem sacrificari iussit. ceteris diis perlitatum ferunt: Saluti Petillium perlitasse negant.

Liv. XLII 30 extr.: Haruspices ita responderunt, si quid rei novae inciperetur, id maturandum esse: victoriam, triumphum, propagationem finium portendi.

Iul. Obsequ. c. 76: In provinciam proficiscens Postumius consul, cum immolaret, in plurimis victimis caput in iocinore non invenit. profectusque post diem septimum ... expiravit.

Sall. bell. Iug. 63, 1: Per idem tempus Uticae forte C. Mario per hostias dis supplicanti magna atque mirabilia portendi haruspex dixerat: proinde quae animo agitabat fretus dis ageret, fortunam quam saepissume experiretur, cuncta prospere eventura.[1])

Plin. N.H. XI 189: (Caput iecoris) defuit et C. Mario cum immolaret Uticae.

Plut. Sulla 17: *Αὐτὸς δὲ (ὁ Σύλλας) παρὰ τὸν Κηφισὸν ἐσφαγιάζετο*[2]) *καὶ τῶν ἱερῶν γενομένων ἐχώρει πρὸς τὴν Χαιρώνειαν.*

Plut. Sulla 27: *Ἐκδηλότατα τοῦ θεοῦ τὰς εὐτυχίας προσημαίνοντος αὐτῷ. θύσαντος μὲν γὰρ εὐθέως ᾗ διέβη περὶ Ταράντα δάφνης στεφάνου τύπον ἔχων ὁ λοβὸς ὤφθη καὶ λημνίσκων δύο κατηρτημένων.*

Aug. de civ. dei II 24: Cum venisset Tarentum Sulla atque ibi sacrificasset, vidit in capite vitulini iecoris similitudinem coronae aureae. tunc Postumius haruspex ille respondit praeclaram ei significari victoriam iussitque, ut extis illis solus vesceretur.

Iul. Obsequ. c. 95: Catone consule immolante exta tabuerunt. caput iocinoris inventum non est.

Iul. Obsequ. c. 107: Decemviris immolantibus caput iocinoris non fuit.

---

[1]) Cf. Plut. Mar. 8.

[2] Hoc quoque loco Plutarchus falso adhibuit *σφαγιάζειν* vocem, cum referret eam ad *ἱερά*. Vide supra p. 4 adn. 1 in.

Iul. Obsequ. c. 112: Herennio consuli bis immolanti caput iocinoris defuit.

Iul. Obsequ. c. 115: Lucilius Lupus spretis religionibus, cum in extis caput non invenisset iocinoris . . . in proelio occisus est.

Cic. de div. I 85: Quid ... habet haruspex, cur pulmo incisus etiam in bonis extis dirimat tempus et proferat diem?

Cic. de div. II 28: Quo modo est collatum inter ipsos (haruspices), quae pars inimica, quae pars familiaris esset: quod fissum periculum, quod commodum aliquod ostenderet? ... 29: non dicam gallinaceum fel, — sunt enim, qui vel argutissima haec exta esse dicant — sed tauri opimi iecur, aut cor, aut pulmo.

Cic. de div. II 38: Cum pluribus diis immolatur, quî tandem evenit, ut litetur aliis, aliis non litetur? ... ut (dei) primis minentur extis, bene promittant secundis? ... ut Apollinis exta bona sint, Dianae non bona? ... tu quidem non hostiarum casum confirmas sortium similitudine, sed infirmas sortes conlatione hostiarum.

Suet. Div. Iul. 77: Eoque arrogantiae progressus est Caesar, ut haruspice tristia et sine corde exta sacro quodam nuntiante futura diceret laetiora, cum vellet; nec pro ostento ducendum, si pecudi cor defuisset.

Iul. Obsequ. c. 127: Caesari dictatori exta sine corde inventa ...

Cic. de div. I 119: (Caesar) cum immolaret illo die, quo primum in sella aurea sedit, et cum purpurea veste processit, in extis bovis opimi cor non fuit... Spurinna (dixit) timendum esse, ne et consilium et vita deficeret; earum enim rerum utramque a corde proficisci. postero die caput in iecore non fuit. quae quidem illi portendebantur a diis immortalibus, ut videret interitum, non ut caveret.[1])

[1]) Cf. Plin. N. H. XI 186; Polyaen. Strat. VIII 23, 32 seq.; Val. Max. I 6, 13; Appian. bell. civ. II 116 et 152; Suet. Div. Iul. 81; Plut. Caes. 63.

Iul. Obsequ. c. 129: Caesari, cum honores decreti essent et imperium adversus Antonium, immolanti duplicia exta apparuerunt. Secutae sunt eum res prosperae.

Tib. I 8, 3 seq.:

Nec mihi sunt sortes nec conscia fibra deorum
praecinit eventus nec mihi cantus avis.

Tib. II 1, 25 seq.:

... viden, ut felicibus extis
significet placidos nuntia fibra deos?

Tib. II 5, 13 seq. Apollinem invocat:

Tuque regis sortis, per te praesentit aruspex
lubrica signavit cum deus exta notis.

Prop. IV 1, 24:

... exta litabat ovis ...

Prop. IV 1, 102 seq.:

Hoc neque arenosum Libyae Iovis explicat antrum
aut sibi commissos fibra locuta deos.

Plin. N. H. XI 190: Divo Augusto Spoleti sacrificanti primo potestatis suae die sex victimarum iocinera replicata intrinsecus ab ima fibra reperta sunt responsumque duplicaturum intra annum imperium.[1])

Cass. Dio 46, 35 de Octaviano: *Θύοντι αὐτῷ, ὅτε τὸν κόσμον καὶ τὴν ἐξουσίαν τοῦ στρατηγοῦ ἔλαβε, διττὰ καὶ ἥπατα ἐν πᾶσι τοῖς ἱερείοις δώδεκα οὖσιν εὑρέθη.*

Suet. Div. Aug. 96: Circa Perusiam sacrificio non litanti, cum augeri hostias imperasset ac subita eruptione hostes omnem rei divinae apparatum abstulissent, constitit inter haruspices, quae periculosa et adversa sacrificanti denuntiata essent, cuncta in ipsos recasura, qui exta haberent; neque aliter evenit.

---

[1]) Cf. Suet. Div. Aug. 95.

Verg. Aen. IV 60 seqq.:

Ipsa ... Dido ...
63 instaurat ... diem donis pecudumque reclusis
pectoribus inhians spirantia consulit exta.

Verg. Aen. X 175 seq.:

... ille hominum divumque interpres Asylas,
cui pecudum fibra, caeli cui sidera parent.

Verg. Aen. XI 739 seq.:

... dum sacra secundus haruspex
nuntiet ...

Ovid. Met. VII 600 seq.:

Fibra quoque aegra notas veri monitusque deorum
perdiderat. tristes penetrant ad viscera morbi.

Ovid. Met. XV 136 seq.:

Protinus ereptas viventi pectore fibras
inspiciunt mentesque deum scrutantur in illis.

Ovid. Met. XV 575 seqq.:

... Mactatarumque bidentum
quid sibi significent, trepidantia consulit exta.
quae simul aspexit Tyrrhenae gentis haruspex,
magna quidem rerum molimina vidit in illis
non manifesta tamen.

Ovid. Met. XV 794 seq.:

Victima nulla litat, magnosque instare tumultus
fibra monet caesumque caput reperitur in extis.

Plin. N. H. XI 189: Gaio principi (caput iecoris) defuit kal. Ian., cum iniret consulatum quo anno interfectus est.

Plin. N. H. XI 189: Claudio ... (caput iecoris defuit), quo mense interemptus est veneno.

Suet. Nero 56: (Nero) ante paucos quam periret menses attendit et extispicio nec umquam litavit.

Sen. Thyest. 755 seqq.:

Erepta vivis exta pectoribus tremunt
spirantque venae corque adhuc pavidum salit.
at ille fibras tractat ac fata inspicit
et adhuc calentes viscerum venas notat.

Sen. Troad. 355 de Calchante:

cui viscerum secreta . . .
dant signa fati.

Sen. Oed. 353 seqq.:

. . . Non levi motu, ut solent,
agitata trepidant exta, sed totas manus
quatiunt novusque prosilit venis cruor.
Cor marcet aegrum penitus ac mersum latet
liventque venae; magna pars fibris abest
et felle nigro tabidum spumat iecur
ac semper omen unico imperio grave
en capita paribus bina consurgunt toris.
Sed utrumque caesum tenuis abscondit caput
membrana: latebram rebus occultis negans
hostile valido robore insurgit latus
septemque venas tendit; has omnis retro
prohibens reverti limes oblicus secat.
Mutatus ordo est, sede nihil propria iacet,
sed acta retro cuncta. non animae capax
in parte dextra pulmo sanguineus iacet,
non laeva cordi regio, non molli ambitu
omenta pingues visceri obtendunt sinus.

Luc. Phars. I 617 seqq.:

. . . Iram superum raptis quaesivit in extis.
Terruit ipse color vatem; nam pallida taetris
viscera tincta notis gelidoque infecta cruore
plurimus adsperso variabat sanguine livor.
Cernit tabe iecur madidum, venasque minaces
hostili de parte videt. Pulmonis anheli
fibra latet parvusque secat vitalia limes.
Cor iacet et saniem per hiantes viscera rimas

emittunt produntque suas omenta latebras.
Quodque nefas nullis impune apparuit extis,
ecce, videt capiti fibrarum increscere molem
alterius capitis; pars aegra et marcida pendet,
pars micat et celeri venas movet improba pulsu.
His ubi concepit magnorum fata malorum,
exclamat: ... 'neque enim tibi, summe, litavi,
Iuppiter, hoc sacrum caesique in pectora tauri
inferni venere dei'.

Plin. N. H. XI 186: In corde summo pinguitudo quaedam est laetis extis. non semper autem in parte extorum habitum est. L. Postumio L. f. Albino rege sacrorum post CXXVI Olympiadem, cum rex Pyrrhus ex Italia decessisset, cor in extis haruspices inspicere coeperunt.

Plin. N. H. XI 195: Taurorum felle aureus ducitur color. haruspices id Neptuno et umoris potentiae dicavere, geminumque fuit divo Augusto, quo die apud Actium vicit.

Plin. N. H. XI 189 seq.: Iecur in dextera parte est in eo, quod caput extorum vocant, magnae varietatis ... caput extorum tristis ostenti caesum quoque est, praeterquam in sollicitudine ac metu. tunc enim peremit curas.

Plin. N. H. XI 204: Adnectitur lien in sinistra parte adversus iecori, cum quo locum aliquando permutat, sed prodigiose.

Plin. Epist. II 20 Reguli cuiusdam scelera narrat, qui § 4 dicit: 'Haruspicem consulam, quem sum frequenter expertus'. Nec mora; sacrificium facit, adfirmat exta cum siderum significatione congruere ... 13 Aspice Regulum qui ... ut ipse mihi dixerit ... cum consuleret quam cito sestertium sescenties impleturus esset, invenisse se exta duplicia, quibus portendi milies et ducenties habiturum.

Sil. Ital. Pun. I 120 seqq.:

Hostia mactatur dirae raptimque recludit

spirantis artus poscens responsa sacerdos
ac fugientem animam properatis consulit extis.

Sil. Ital. Pun. I 137 seqq.:

... Venientia fata
scire ultra vetuit Iuno fibraeque repente
conticuere. latent casus longique labores.

Sil. Ital. Pun. V 162 seq.:

... Extis
quaesitae fibrae vanusque moratur haruspex.

Suet. Galba 19: Prius vero quam occideretur, sacrificantem mane haruspex identidem monuit, caveret periculum, non longe percussores abesse.

Tac. hist. I 27: XVIII Febr. sacrificanti pro aede Apollinis Galbae haruspex Umbricius tristia exta et instantes insidias ac domesticum hostem praedicit,[1]) audiente Othone (nam proximus adstiterat) idque ut laetum e contrario et suis cogitationibus prosperum interpretante.

Tac. hist. II 78: Sacrificanti Vespasiano, cum spes occultas versaret animo, Basilides sacerdos inspectis identidem extis 'quicquid est', inquit 'Vespasiane, quod paras, seu domum exstruere seu prolatare agros sive ampliare servitia, datur tibi magna sedes, ingentes termini, multum hominum.' has ambages et statim exceperat fama et tunc aperiebat: nec quicquam magis in ore volgi. crebriores apud ipsum sermones, quanto sperantibus plura dicuntur.

Tac. hist. II 4: Titus ... de navigatione primum consulit. postquam pandi viam et mare prosperum accepit, de se per ambages interrogat caesis compluribus hostiis. Sostratus (sacerdotis id nomen erat), ubi laeta et congruentia exta magnisque consultis adnuere deam (Venerem) videt, pauca in praesens et solita respondens, petito secreto futura aperit.

[1]) Cf. Cass. Dio LXIV, 5; Plut. Galb. 24.

Cass. Dio LXXVIII 7, 2: *Οἱ μάντεις εἶπον αὐτῷ (τῷ Καρακάλλᾳ) τὴν ἡμέραν ἐκείνην φυλάσσεσθαι τούτῳ τῷ ῥήματι ἄντικρυς χρησάμενοι, ὅτι αἱ τοῦ ἥπατος τοῦ ἱερείου πύλαι κέκλεινται.*

Herodian. VIII 3, 7 Maximinum bellum suscepisse narrat: *πολλῶν . . . ὄντων περὶ θυτικήν τε καὶ ἡπατοσκοπίαν ἐμπείρων, τά τε ἱερὰ αἴσια ἀπαγγελλόντων.*

Fronto p. 137 N.: Sicut in extis diffissa plerumque minima et tenuissima maximas significant prosperitates.

Amm. Marc. XXII 1, 1: Iulianus . . . exta rimabatur adsidue . . . eique tandem aruspicinae peritus Aprunculus Gallus ... nuntiavit eventus inspectu iecoris, ut aiebat ipse, praedoctus quod operimento duplici viderat tectum.

Festus p. 157 M.: Muta exta dicuntur, quibus nil divinationis aut deorum responsi inesse animadvertunt, contra adiutoria, quae certum aliquid eventurum indicant aut ab incendio, ut caveamus, aut a veneno talique re certum aliquod manifestumque instare periculum, item, quae rei publicae portendunt finium deminutionem.

Festus p. 289 M.: Regalia exta appellantur, quae potentibus insperatum honorem pollicentur; privatis et humilioribus hereditates; filio familiae dominationem.

Festus p. 245 M.: Pestifera auspicia sunt, cum cor in extis non invenitur aut caput in iocinere.

Paulus Festi p. 100 M.: Hariuga dicebatur hostia, cuius adhaerentia inspiciebantur exta.

Claudian. in Ruf. II 412 seqq.:

Hic iecur, hic cordis fibras, hic pandit anhelas
pulmonis latebras. spatium non invenit ira.
Nec locus est odiis.

Mart. Cap. I 9: Denudata pecudum caede fissiculatis extorum prosiciis viscera loquebantur.

Mart. Cap. II 151: Aruspicio exta fissiculant admonentia quaedam.

Serv. ad Verg. Georg. III 489: Colligi enim nisi ex sana victima futura non possunt.

Lact. Plac. ad Stat. Theb. IV 468: Ars autem haruspicina hoc habet, ut et turis motus et crepitus et fumi motus et flexus colligat, quoniam haec primum signa aut testantur extorum promissis, si bona sint, aut, si contraria, refragantur.

Lact. Plac. ad Stat. Theb. V 176: Est quoddam in extis signum, quod deus appellatur. quod, si integrum apparuerit, propitium numen ostendit; sin vero dimidium, iratum significat numen aut certe non praesens.

Fulgentius p. 112, 11 Helm: Labeo qui disciplinas Etruscas Tagetis et Bacitidis quindecim voluminibus explanavit, ita ait: 'Fibrae iecoris sandaracei coloris dum fuerint, manales tunc verrere opus est petras.'

Isid. Origg. XI 1: Fibrae iecoris sunt extremitates sicut extremae partes foliorum in vitibus, sive quasi linguae eminentes.

Qui obiter tantum perlegerit illa testimonia, mirabitur sine dubio, artissimo vinculo et Graecas et Romanas opiniones plurimis in rebus esse connexas. Qua similitudine factum est, ut Deeckius quoque longius coniectando provectus ad unum fontem utriusque populi extispicium reducere voluerit.[1]) Attamen accuratius in hanc rem inquirentibus nobis gravissimae obsistunt causae, ne assentiamur ei, quam ille professus est, sententiae. Apud Graecos enim ab extispicibus certa quaedam signa certis nuncupabantur nominibus, quae ex Hesychio aliis[2]) comperta habemus. Contra in Romanorum testimoniis nusquam nisi perpaucis locis recentiore aevo conscriptis invenitur ali-

[1]) V. supra p. 2. [2]) V. supra p. 10 seq.

quid, quod his nominibus conveniat. Legimus quidem apud Deeckium l. l. p. 77: *Der lateinische sacrale Name für πύλη war Cella.* Sed haec non suo iure conclusit e scholio ad Luc. Phars. l. I 628 seq. adiecto, et iam Ludovicus Stieda medicus Regimontanus reiecit hanc Deeckii coniecturam in opusculo *Über die ältesten bildlichen Darstellungen der Leber.*[1]) Nos vero, praeter quod offendimur conclusione ex uno scholio tam sero composito deducta, vexat quam maxime, quod scholium illud contra se ipsum pugnat. Dicit enim scholiasta haec: *diversae sunt venae, quas haruspices cellas dicunt, hostium, amicorum et alia huiusmodi.* In propatulo est scholiastam his verbis intellexisse iecoris divisionem apud Romanos usitatissimam, sc. factam in partem hostilem et familiarem, quam poeta ipse descripsit v. 621 seq.:

venasque minaces
hostili de parte videt

et v. 628 seq.:

pars aegra et marcida pendet,
pars micat et celeri venas movet improba pulsus.

Ergo cella hostium et amicorum a scholiasta laudata nihil aliud est nisi pars hostilis et familiaris. Sed falso ille venas cum cellis in unum commiscuit: id quod ob eam tantum causam fecit, quod poeta l. supra p. 18 l. commemoravit hostilis partis venas minaces. Hoc autem plane demonstratur sequentibus verbis, quibus satis clare recurrit scholiasta ad illam divisionem *cum ergo accipiunt iecinora, intellegunt, quae cella nec eat,*[2]) *quae pars saliat.* Quo autem e fonte fluxit hic usus vocis *cellae*? Etsi non habemus, quod pro certo proferamus, tamen nobis simillimum quidem veri est hoc verbum posteriore aevo eodem modo atque *templum* quod vocatur, in iecur esse translatum:

---

[1]) Expressum est typis apud Merkel-Bonnet, *Anatomische Hefte* I vol. XV p. 675 seqq.

[2]) Quoniam verba sic inter se opponuntur, retinenda est lectio, quae traditur *nec cat,* non substituendum, quod Deeckius l. l. p. 78 not. 273 proposuerat *noceat.* Dicitur enim: *altera pars non it (non salit), altera salit:* id quod ipsis poetae verbis demonstratur. De vocula *nec* pro *non* posita v. Lindsay-Nohl, *Die lat. Sprache* p. 707.

templi enim pars est *cella.*[1]) *Cella* igitur, ut breviter comprehendamus, hoc in scholio plane aliud significat atque Graecorum vox *πύλη*: Graeci enim *πύλας* vocabant *καθ' ἃς ὑποδέχεται τὸ αἷμα*[2]) h. e. primum venarum portas, exinde totas venas,[3]) numquam autem, quantum videmus, iecoris partes, quas Romani appellabant *cellas.* Sed protulerit fortasse quispiam contra nostram sententiam scholium quoddam ad Demosth. pro cor. § 198 (Dind.) adiectum: *πυλαία ἡ μέση τοῦ ἥπατος εὐρυχωρία παρὰ τοῖς θύταις.* Sane hoc nomine a voce *πύλη* derivato significatur iecoris pars quaedam in medio posita. Attamen non idem valet atque Romanorum *cella,* qua significantur duae iecoris partes, quae apud solos Romanos, ut infra demonstraturi sumus,[4]) distinctius lineamentis circumscriptae et disiunctae erant. Si vero recte adhuc conclusimus vocis *cellae* usum ad nullum alium nisi ad Etruscorum Romanorumque morem iecoris lineamentis dividendi respicere, sequitur, ut probare non possimus, quae Stieda medicus de cella protulit. Dicit enim in opusculo, quod modo p. 23 laudavimus,[5]) haec: *Offenbar betrachteten die Haruspices nicht allein die Oberfläche der Leber, sie machten wahrscheinlich an verschiedenen Stellen Einschnitte in die Substanz . . . Was für Schlüsse sie aus den hier sichtbar werdenden Löchern und Blutgefäßen zogen, ist mir unbekannt. Jedenfalls knüpfen sich an diese vermeintlichen Löcher irgendwelche Anschauungen. Diese 'Löcher' und Gruben sind es, die von den römischen Haruspices als 'cellae' bezeichnet wurden.* At nullo loco traditur in iecur medicorum more insecuisse extispices. Quare hanc coniecturam reiciamus necesse est.

Quibus testimoniis remotis Romanorum in extispicio semel tantum dicitur de *portis.* At non Romanus auctor sed Cassius Dio Graecus haec tradit, qui de Caracallae imperatoris sacrificio haud scimus an Graeco ritu peracto narrat[6]) *αἱ τοῦ ἥπατος*

---

[1]) De hac translatione vide infra p. 27, 58, 63 seq.
[2]) Pollux Onom. II 215; supra p. 10.
[3]) Ruf. Ephes. de appell. part. corp. hum. p. 38 (Clinch.); Hesych. s. v. *πύλαι*; supra p. 10, infra p. 71. [4]) P. 27 seqq.
[5]) Merkel-Bonnet, *Anatom. Hefte* I vol. XV p. 705; vide etiam ib. p. 718. [6]) LXXVIII 7, 2; supra p. 21.

πύλαι κέκλειντο. Nil autem hoc testimonium e Graeca fortasse disciplina confictum contra nos valet.

Praeterea semel invenitur in describendo iecore vox *linguae*, quacum conferantur Graecorum *γλῶσσαι* apud Hesychium s. v. obviae.[1]) Iam habemus, dixerit fortasse quispiam, quod plane convenit et Graecorum et Romanorum moribus! Sed legitur verbum illud *lingua* apud neminem veterum, at primum apud Isidorum Hispalensem.[2]) Ac ne ille quidem Graecorum more signa quaedam in iecore patefacta *linguas* vocat; immo vero iecoris fibras cum linguis eminentibus contulit.

Romani igitur, ut hoc paucis verbis repetamus, omnino non utebantur eis nominibus, quae in multis Graecorum testimoniis nobis occurrunt. At fortasse censendum nobis esset Romanos quoque remotissimis temporibus similibus verbis vel terminis, quos vocamus technicos, usos fuisse, si quidem vel cum Muellero vel cum Deeckio facturi essemus, qui illorum extispicium ex horum arte derivant. Quis autem est, qui credat apud Romanos vel Etruscos, apud quos extispicii usus semper florebat, plane interiisse haec nomina, si revera ab his recepissent Graeci extispicii artem, ut Muellerus sibi fingit?[3]) Nam, si alienum fuisset Graecis extispicium, certe non artem solam sed nomina quoque ab Etruscis deprompsissent. Sin autem Deeckio concederemus ex orientis regionibus fluxisse hoc divinandi genus, cur Graeci servarunt, Etrusci plane amiserunt nomina illa, quae ad artem colendam expoliendamque sine dubio summi erant momenti? Nam hoc pro certo habemus haec nomina apud Graecos esse antiqua, quippe quibus tragici poetae tam facile utebantur.[4])

Sed altera quoque ex causa et Muelleri et Deeckii sententiae adsensus denegatur. In Romanorum testimoniis saepissime occurrit vox *caput* sc. iecinoris.[5]) Graecorum extispices, si esset revera illud, quo cum Romanis continerentur, vinculum artissimum, ut Muellerus et Deeckius postulant,

---

[1]) Supra p. 10. [2]) Origg. XI 1; supra p. 22.

[3]) *Die Etrusker* II² p. 188.

[4]) Aesch. Prom. 495 seqq.; Eur. El. 826 seqq.; supra p. 3 et 5.

[5]) De *capite* v. infra p. 48 seqq.

pro verbo *caput* dixissent sine dubio κεφαλή. Perlustrantibus autem nobis testimonia supra allata apparet vox κεφαλή ter tantum de iecore usurpata apud Graecos; bis apud Plutarchum, qui, praeterquam quod ne Graeca quidem artis extispicum vocabula acriter distinxit[1]), etiam in Romanis rebus versabatur. Quibus de causis a vero non aliena videtur coniectura, eum hic vel illic aliquid ab altero populo ad alterum transtulisse. Legimus igitur in vita Marcelli ab illo descripta cap. 29: *τὸ ἧπαρ οὐκ ἔχον κεφαλήν*. Nemo facile negabit Plutarchum hoc in vita Marcelli Romani positum e Romano quodam fonte hausisse, ubi scriptum invenit, in iocinere caput non infuisse.[2]) Aliter res se habet in Cimonis vitae cap. 18, ubi idem Plutarchus scripsit haec: *τὸν λοβὸν οὐκ ἔχοντα κεφαλήν*. Quae verba cum iterum iterumque legeremus, summam nobis movebant suspicionem hoc loco scriptorem duo momenta inter se discrepantia confudisse, sc. Graecam rem et Romanam. Nam alio nullo loco nobis quicquam traditur de l o b i c a p i t e. Sed apud Graecos plurimum valebat *ἧπαρ οὐκ ἔχον λοβόν*, apud Romanos i e c u r s i n e c a p i t e, quae Plutarchus, si recte intelleximus, in unum falso contraxit *τὸν λοβὸν οὐκ ἔχοντα κεφαλήν*. Certe autem hic locus impedire quidem debuit D e e c k i u m, quominus λοβὸν et κεφαλὴν et *caput* nullo discrimine adhibito poneret, quod fecit l. l. p. 71, 3a, praesertim cum Rufus Ephesius expressis verbis saepius non de *iecoris* sed de *cordis* κεφαλή disputaverit.[3]) Quae cum ita sint, sequitur nihil de Graeci et Romani usus conspiratione enucleandum esse e locis Plutarcheis. Praeter Plutarchum unus Appianus usurpavit vocem κεφαλή in extispicio. Dicit enim de C. Caesare[4]) *πρῶτον (ἱερὸν) ἄνευ καρδίας ἢ ὡς ἕτεροι λέγουσι· ἡ κεφαλὴ τοῖς σπλάγχνοις ἔλειπεν*. Luce est clarius Appianum Romano fonte usum recte vertisse Romanorum illud *caput defuit in extis*.

Hoc igitur nobis constabit in nullo Graecorum testimonio Romanorum doctrina non infecto vocem κεφαλή inveniri

---

[1]) Ut supra monuimus p. 4 adnot. 1.

[2]) Cf. Liv. XXVII 26; Val. Max. I 6, 9; supra p. 12.

[3]) De appellat. part. corp. hum. p. 37 et 38 (Clinch.).

[4]) Bell. civ. II 116.

pro Romanorum *caput iecinoris.* Sed aliis haud levibus momentis augentur argumenta contra Deeckii sententiam prolata. Quotquot nos quidem novimus Graecorum extispicii testimonia, nullo loco commemorant iecoris *in partem familiarem et hostilem divisionem*, quae apud Romanos vel Etruscos erat tritissima. Videlicet Graeci quoque quaerebant signa secunda et adversa: sed non e iecoris lineamentis. Immo plane aliam sequebantur interpretandi viam et rationem quam infra [1]) accuratius cognoscemus. Tamen viri docti, ut lineamentorum quoque doctrinam apud Graecos statuerent, enixe operam navabant, id quod uno illustratur C. A. Boettigeri exemplo.[2]) Qui, cum morem Romanum secutus Hesychii *δόλον τραπέζην* in ea iecoris parte posuisset, quam Romani *hostilem* vocare solent, et vehementissime desideraret signum ad *δόλον τραπέζην* conveniens in adversa iecoris parte *familiari* positum, ut hoc efficeret, in medicorum codicibus ubicumque traditur *τράπεζα, ἑστία*, id mutare voluit in *τράπεζα ἑστίας*. Idem vir doctus e Hesychii glossa *πύλαι* concludere studebat Romanorum *fissum vel limitem* [3]) apud Graecos latere sub voce *ὁδοί*. Sed Hesychius l. l. nos docet *τὰς ὁδοὺς* fuisse vocatas *πύλας*. Rufus autem Ephesius scripsit, ut iam monuimus, l. s.: *πύλη δὲ ἥπατος ἡ φλέψ διὰ ἧς ἡ τροφὴ εἰσέρχεται.* Ergo *ὁδοὶ* quoque pro venis sunt intellegendae sub voce *πύλη* ad totam venam translata; [4]) eodem vero spectat Hesychii glossa *ἀκέλευθα*. Romanorum contra *fissum* vel *limes* transverso itinere secat venas; dividit enim iecur in partem familiarem et hostilem.[5]) Non a sanguinis via, sed ab augurum templo sine dubio *limitem* in extispicium translatum habemus.

Sed redeamus ad argumenta nostra. Praeter illa, quae enarravimus, contra Deeckii sententiam pugnat, quod Graeci, ut docemur testimoniis allatis, iam inde a remotis temporibus *τὴν χολὴν* inspiciebant.[6]) Romanis autem in extispiciis *fellis* commemoratio haud ante Plinii [7]) et Senecae [8]) aevum occurrit.

---

[1]) p. 62. [2]) *Ideen zur Kunstmythologie*, Dresden 1826 I p. 80.
[3]) Seneca Oed. 369; Cic. de div. II 32. [4]) Cf. p. 23 seq.
[5]) Seneca l. p. 18 l. [6]) Aesch. Prom. 497; supra p. 3.
[7]) Plin. N. H. XI 195: *geminum . . (fel) fuit divo Augusto, quo die apud Actium vicit.*

Annaeana vero sacrificii descriptio, ut hanc priore loco absolvamus, nimia subtilitate aucta et amplificata videtur, quam quae verum illius temporis usum ac rationem nobis illustret. Sed nostra sententia ne Plinianis quidem verbis instituta mere Romana nobis traduntur. Certe iam mirum esset, si illud omen tam grave, quod Octavianus Plinio teste accepit, ceteros illius aevi scriptores plane effugisset, qui alia haud graviora Octaviani extispicia accuratissime observarunt. Tamen quomodocumque haec res se habet, id pro certo proferatur, apud Romanos fellis inspectionem haud eandem habuisse priscam vim atque apud Graecos. Horum enim in extispicio *fel* semper referebatur ad proelium, cum aut victoriam aut cladem interrogantibus indicaret,[1]) id quod ex usu quodam mero Graeco explicari potest. Nam Graeci contulerunt propter similitudinem *fel* cum *face*,[2]) qua in altum eiecta signum dederunt proelii committendi.[3]) Perspicua igitur fellis interpretandi offerebatur ratio Graecis, cum Romanis in Pliniano testimonio Neptunum auxilio vocare opus esset ad interpretationem quae nemini satisfaciat extorquendam. Nec non notabilis est hoc loco Plinianus usus dicendi *haruspices id* (sc. *fel*) *Neptuno et umoris potentiae d i c a v e r e*, qua voce *dicandi* vel summa nobis quidem movetur suspicio hoc loco Pliniano non exstare usum Romanis vernaculum sed artificiosam quandam interpretationem et Graeco et Romano ritui adaptatam. Nam inesse aliquid Graecum patet ex eo, quod fel ad victoriam refertur, ut Graeci suo more solebant. Romanorum autem usui satisfactum est eo, quod fel certo deo quasi provincia ita attribuitur, ut signa ibi visa ad hunc deum eiusque imperium referantur.[4]) Sed revera non Romanorum fuisse hanc fellis inspectionem pro certo habemus testimonio gravissimo Ciceronis commoti. Qui vir his in rebus versatissimus in libro de div. II 29 inter extispicii elementa fel quidem commemorat sed gallinaceum, non earum hostiarum, quae apud Romanos caedebantur. Immo vero tauri opimi, qui offerri solebat, enumerat iecur, cor, pul-

[1]) Schol. Aesch. Prom. 484. [2]) Schol. Eur. Phoen. 1257.

[3]) Schol. Eur. Phoen. 1377. — Quae D e e c k i u s l. l. p. 70 adnot. 259 et p. 71 adnot. 260 apposuit verba, ad rem explicandam nihil valere per se patet. [4]) Qua de re vide cap. III.

monem, sed fel omittit. Ergo illud in hostiis usitatis non inspiciebatur. Atque ne in iecore quidem illo ex aere facto,[1]) ubi singulis partibus deorum, quibus attributae sunt, nomina inscripta videmus, Deeckius Neptuni nomen pro certo invenire potuit.[2]) Quae cum ita sint, iudicandum nobis est hanc fellis vim eiusque interpretationem Plinianam pugnare contra Romanorum usum atque certam ob causam fortasse in maiorem principis honorem compositum esse illud artificiosum extispicium, quod in Augusto tantum eiusque summa victoria laudatur. Quae coniectura haud scimus an firmetur eo, quod altero loco[3]) idem Plinius contra reliqua testimonia Mario, qui populari causae studuit, tristissimum attribuit extorum signum. Utriusque ominis discrepantiam Fr. Muenzer[4]) ad Varronem rettulit, quem contra extispicium pugnasse exemplis allatis quae inter se non congruerent putat. Nonne vero videtur rebus ipsis melius is satisfacere, qui censet Plinium, ut erat principatui addictus eis tantum ex fontibus hausisse, qui ipsius de republica conveniebant sententiae? — Sed, utut res se habet, hoc certe constat fel aevo demum posteriore in extorum inspectorum numerum receptum esse apud Romanos.

Quibus argumentis cum ad irritum ceciderit, ut nobis quidem videtur, sententia de Graeci et Romani extispicii artissimo illo consensu concentuque prolata, nunc ad alteram Deeckii accedamus sententiam ex oriente traductum esse extispicum artificium. Contra pugnant hostiarum inspectarum genera. Graeci enim et Romani exta inspicere solebant eorum tantum animalium, quae sacrificare patrio ritu erat fas. Nam Pausanias, cui hac in re cur diffidamus non habemus, expressis verbis testatur haec: *μαντικὴ δὲ ἡ μὲν ἐρίφων καὶ ἀρνῶν τε καὶ μόσχων ἐκ παλαιοῦ δήλη*

[1]) V. infra p. 31.

[2]) L. l. p. 85. Qua de causa adhuc satis dubium censemus id, quod coniecit de felle p. 84. Nam fel, ubique inspicitur secundum ritum, refertur ad hostes vel victoriam, id quod e Graecorum opinionibus explicandum est, non e cognatione cum aquis intercedente; v. v. c. Plut. Arat. 43.

[3]) N. H. XI 189.

[4]) *Beitr. z. Quellenkrit. der Naturgesch. des Plin.* p. 246.

καθεστῶσά ἐστιν ἀνθρώποις.[1]) Atque eidem Pausaniae Thrasybulus quidam, qui canis exta inspexit, adeo contra cotidianum usum fecisse visus est, ut concluderet invenisse illum hoc ipsum extispicii genus.[2]) Quin etiam ne avium quidem exta a Graecis et Romanis inspici erant solita.[3]) Contra Asiatici populi multis aliis praeterea ad extispicium perficiendum utebantur hostiis. Cyprios suibus quoque hac in re usos esse Pausanias l. l. testatur; ac Tacito teste[4]) in templo Paphiae Veneris hostiae, quas quisque vovit, ad extispicium adhibebantur. *Sed mares deligebantur: certissima fides haedorum fibris.* Iuvenalis poeta narrat[5]) Armenium vel Commagenum haruspicem pulmonem columbae tractasse pullorumque rimatum esse pectora et exta catelli. Neque censebimus sine ulla causa eundem dixisse *ranarum viscera numquam inspexi.*[6]) Cicero insolitam opinionem narrat esse, quae argutissima gallinacea exta putaret.[7]) Non facile erremus arbitrati haec verba spectare ad extispicium quoddam externum Romae tum fere receptum. Complura commemorantur alia extispicii genera in testimoniis quibusdam Syriacis, si Fr. Lenormantii interpretamento fides habeatur,[8]) qui praeter cetera animalia ad extispicium adhibita enumerat vulpem equum asinum leonem ursum piscem anguem. Num est verisimile Graecos et Etruscos extispicium sibi omnino alienum, ut Deeckius voluit, ab aliis gentibus mutuatos ad suas, ut ita dicamus, hostias transtulisse et ad eas restrinxisse? Nonne si hoc ita se haberet, iisdem usuri fuissent hostiis ad extispicium faciendum atque ii populi, a quibus e Deeckii sententia illam externam artem recepissent? Nam posterioribus etiam temporibus, qui externi erant cultus, ritu plane suo agi solebant.

Novum praeterea contra Deeckii sententiam eis qui nunc sunt hominibus praebent argumentum iocinora ex usu

---

1) VI 2, 5. 2) VI 2, 4.
3) Cf. P. Stengel, *Die griech. Kultusaltert.*[2] p. 56 adnot. 10; G. Wissowa, *Religion und Kultus der Römer* p. 347 seqq.; infra p. 34 adnot. 1. 4) Hist. II 3. 5) Sat. VI 548 seqq. 6) Sat. III 43.
7) De div. II 29. 8) *Les sciences occultes en Asie* p. 55 seqq.

extispicum servata alterum Etruscum [1]) alterum Babylonium,[2]) quae hoc loco depinximus.

Utrumque lineamentis in partes distributum vides. Sed suam utrique rationem esse figurae ipsae demonstrant. Quin




Fig. 1.

etiam plane diversa ratio intelligenda est in iecore Etrusco (Fig. 1) et in Babylonio (Fig. 2). Cum enim iecur Etruscum superiore tantum in parte praebeat inscriptionem, quae contineat nomina deorum, quibus attribuuntur singulae domus,[3]) in Babylonio iecore utrobique exstant notae inscriptae, sed non deorum nomina, immo vero enuntianda vaticinia.[4]) Denique, si revera in Babyloniorum extispicio inveniuntur notiones,[5]) quae Graecorum modo enumeratis respondent, hoc quoque pro Deeckio nihil valet, quo-




Fig. 2.

[1]) Cf. Deecke, *Etr. Fo.* IV p. 1 seqq.; nostra Fig. 1.

[2]) A. Boissier, *Note sur un monument Babylonien se rapportant à l'extispicine*, *Genève* 1899; nostra Fig. 2.

[3]) Deecke l. l. p. 21 seqq.; infra p. 32 et 63.

[4]) Boissier l. l. p. 7 seqq.; cf. Cic. de div. II 82: *Nobis sinistra videntur Graiis et barbaris dextra meliora.* [5]) Boissier, *Note*

niam Graecorum signa propter similitudines quasdam [1]) nominantur ita, ut etiam in divinatione, quae ‚originem trahit ex scapulis, occurrerint his simillima. [2])

Sed ea quam his argumentis demonstrare conati sumus sententia, nempe haud exiguum interesse et inter Graecorum Romanorumque extispicium et inter incolarum orientis ritus, Ciceronis testimonio quam optime comprobatur. Scripsit enim vir hac in re egregie versatus [3]): *An haec* (sc. *interpretandi regulas*) *inter se haruspices Etrusci Elii Aegyptii Poeni contulerunt? At id praeterquam quod fieri non potuit, ne fingi quidem potest. Alios enim alio more videmus exta interpretari nec esse unam omnium disciplinam.* [4])

Fieri igitur non potest, ut, qui haec omnia penitus perspexerit, Deeckio porro concedat et Graecorum et Romanorum extispicium plane inter se conspirasse et e populorum ad orientem sitorum ritu utrumque fluxisse. Immo, ut paucis verbis rem comprehendamus, apud Graecos omnino alia atque apud Romanos exstabat ratio exta interpretandi. Graeci, quod in capite III accuratius expositurі sumus, per similitudinem quandam explanabant signa [5]), cum apud Romanos provincia, ut ita dicamus, quae pro dei cui attribuebatur signo cedebat, interpretandi praeberet ansam. Nihilominus praeter has differentias exstare potuisse permultas atque maximas similitudines quis est, qui negabit, praesertim cum in deorum signis interpretandis communes quaedam causae atque opiniones apud omnes fere nationes exstiterint? [6]) Si vero reputamus cum antiquissimis temporibus nationes multas, licet moribus longe dispares fuerint, extispicium adhibuisse, tum nostra ipsa aetate

---

sur un nouveau monument Babylonien, Genève 1901 p. 12 adnot. 2. Videas praeterea Caroli Bezold de Babyloniorum extispicio supplementum in calce huius libelli additum.

1) V. supra p. 28 adn. 2; p. 62.

2) V. infra p. 55 adnot. 1.

3) De div. II 28.

4) Quo iure Deeckius *Etr. Fo.* V p. 79 adnot. 277 dixerit: *Nach* Cic. de div. II 12, 28 *hätten die Ägypter und Phönizier Haruspicin geübt und in ihren Deutungen wesentlich mit Griechen und Etruskern übereingestimmt* nos quidem omnino non intellegimus.

5) Cf. nomina ab Hesychio laudata supra p. 10 seq.

6) Qua de re fusius agemus infra in capite III.

permultas gentes nullo cultu aut disciplina assuefactas, quas nemo cum Graecis vel Romanis ullo umquam vinculo connectere audebit, summum momentum attribuere eidem divinandi generi,[1]) non possumus non agnoscere illam divinandi rationem apud singulos populos ab ipsa natura profectam et sua sponte esse natam. Qua re videlicet non impedimur, quominus libenter concedamus complures nationes posteriore aevo, cum inter se commercium habere coepissent, secum communicasse illius disciplinae leges, id quod quatenus factum esset, iam ab antiquis ipsis quaerebatur.[2])

[1]) Exempla postea afferemus in capite III.

[2]) Vide Ciceronis locum supra p. 32 laudatum.

CAPUT ALTERUM

Postquam in capite primo veterum testimonia, quae sunt de extispicio, congessimus et Deeckii sententiam inter se conspirasse Graecorum et Etruscorum extispicium et utrumque ex orientali ritu fluxisse falsam esse ostendimus, nunc in capite altero, quid veteres ipsi de extispicio censuerint, illustremus. Satis notum est antiquae aetatis homines omnia, quae factitarent, deo aut homini cuidam ascripsisse inventori. Ita Graeci Delphum, Apollinis filium, haruspicinae habebant auctorem. Nam etsi haud ante Plinium nobis occurrit huius rei notitia, tamen ille procul dubio eius gravem veterum quendam habuit auctorem.[1]) Etrusci vero Tagetem a Tarchonte quodam e sulcis exaratum disciplinae celebrabant inventorem, qui quamvis puerili corpore praeditus summam Lucumonibus tradidit sapientiam.[2]) Herodotus, qui primus ad mores gentium diversarum inter se similes animum vertit, scripsit haec: *ἡ δὲ μαντηΐη ἥτε ἐν Θήβῃσι τῇσι Αἰγυπτίῃσι καὶ ἐν Δωδώνῃ παραπλή-*

---

[1]) N. H. VII 203; cf. M. Kremmer, De catalogis heurematum, diss. Lips. 1890 p. 96 seqq. Mirum est, quod Plinius hoc loco extispicii avium inventorem Tiresiam Thebanum dicit, cum Graeci quantum videmus, avium exta non inspexerint (v. supra p. 30 adn. 3), sed barbaris hoc attribuere soleant (Iambl. V. Pyth. 28, 147). Quae cum ita sint, nobis veri est simillimum Plinium h. l. duos fontes in unum commiscuisse. Legit in uno Tiresiam exta inspexisse, cumque notissimum esset eundem avium voces percepisse earumque e volatu futura praedixisse (Soph. Oed. R. 310, 395; Apollod. III 10; Paus. IX 16, 1) ipse varia in unum complexus avium exta inspexisse Tiresiam pro certo habuisse videtur.

[2]) Cf. Müller-Deecke, *Etrusker* vol. II² p. 24 seqq.

σιαι ἀλλήλησι τυγχάνουσι ἐοῦσαι.[1]) Cumque saepius Graecorum instituta ab Aegyptiis repetat, non miramur illum extispicium quoque Graecorum ab Aegyptiis derivasse his verbis: *Ἔστι δὲ καὶ τῶν ἱρῶν ἡ μαντικὴ ἀπ' Αἰγύπτου ἀπιγμένη.*[1]) Alii putabant Cyprios invenisse hanc artem,[2]) cum Tacitus recentiorem quidem famam secutus, ut ipse dicit, narret in insula Cypro scientiam artemque haruspicum viguisse eo allatam a Cilice Tamira.[3]) Denique miri nihil habet hoc quoque divinandi genus Chaldaeis attributum esse inventoribus.[4]) Haec sunt de origine haruspicum artis testimonia, quae omnia imprimis cupiunt demonstrare unius viri vel populi sapientia inventam esse disciplinam illam.

Iam vero nobis e testimoniis est colligendum, quid de re ipsa censuerint veteres. Ut incipiam a philosophis, illos per se patet, ut summam appetebant scientiam, insignem operam navasse, ut perspicerent, utrum esset revera divinatio necne. Quorum antiquiore quidem aevo qui fuerunt de divinatione in universum spectata disputare solent. Cum autem illis quoque temporibus extispicium sine dubio tritissimum esset, haud iniuria censeamus sub voce *μαντική* ab illis usitata vel hoc divinandi genus esse comprehensum. Quam *μαντικὴν* iam Chilo, qui in septem sapientium habetur numero, his verbis commendasse dicitur: *μαντικὴν μὴ ἐχθαίρειν.*[5]) Pythagoras teste Plutarcho personato[6]) extispicium ipsum aspernatus est, cetera permisit suis divinandi genera. Ac scripta videmus in ea huius philosophi quae Iamblicho tribuitur vita: *ἀντὶ τῆς διὰ θυσιῶν ἱεροσκοπίας τὴν διὰ τῶν ἀριθμῶν πρόγνωσιν παρέδωκεν, ἡγούμενος ταύτην καθαρωτέραν εἶναι καὶ θειοτέραν καὶ τοῖς οὐρανίοις τῶν θεῶν ἀριθμοῖς οἰκειοτέραν.*[7]) Talia spectant, ut Ed. Zeller adnotavit,[8]) ad id, quod variis locis traditur, Pythagoram interdixisse suis hostias interficere et animalium carnem edere, quae omnia, ut permultae aliae narrationes in Pythagorae vita describenda obviae a posterioribus demum

---

[1]) Herod. II 58. [2]) Tatian *πρὸς Ἑλλ.* p. 3 Oxon. [3]) Hist. II 3.
[4]) Greg. Naz. *κατὰ Ἰουλ.* c. 3. [5]) Diog. Laert. I 3, 2.
[6]) Ps. Plut. de placit. phil. V 1. [7]) Iambl. V. Pyth. 19, 93.
[8]) *Philosophie der Griechen* I[4] p. 290 adn. 6, p. 292 adn. 1; Überweg-Heintze, *Gesch. der Phil.* p. 61 adn. 8.

sunt profecta. Qua de causa, etsi non expresse traditur, coniectura tamen fortasse assequi licet Pythagoricos postea haud omnino respuisse extispicium ex eo, quod Didymus Pythagoreus haec probavit Stoicorum verba: *καὶ μαντικὸν δὲ μόνον εἶναι τὸν σπουδαῖον ὡς ἂν ἐπιστήμην ἔχοντα διαγνωστικὴν σημείων τῶν ἐκ θεῶν ἢ δαιμόνων πρὸς ἀνθρώπινον βίον τεινόντων· δι' ὃ καὶ τὰ εἴδη τῆς μαντικῆς εἶναι περὶ αὐτὸν τό τε ὀνειροκριτικὸν καὶ τὸ οἰωνοσκοπικὸν καὶ θυτικὸν καὶ εἴ τινα ἄλλα τούτοις ἐστι παραπλήσια.* [1])

Contra Xenophanes Colophonius, qui vehementissime pugnabat contra plebis, ut ita dicamus, opiniones de deorum natura pervulgatas, divinationem quoque funditus sustulit.[2]) Democritum vero in doctrinam suam extispicium recepisse putabant veteres Cicerone teste, qui illum dicentem facit: *sapienter instituisse veteres, ut hostiarum immolatarum inspicerentur exta, quorum ex habitu atque ex colore tum salubritatis tum pestilentiae signa percipi nonnumquam etiam, quae sit vel sterilitas agrorum vel fertilitas futura.* [3]) Illius autem temporibus extispicium vere floruisse his Euripideis versibus [4]) docemur:

ἃ δ' ἔστ' ἄσημα κοὐ σαφῆ, γιγνώσκομεν
εἰς πῦρ βλέποντες, καὶ κατὰ σπλάγχνων πτυχὰς
μάντεις προσημαίνουσιν οἰωνῶν τ' ἄπο.

Quin etiam Aristophanes comicus aves exta ante urbem conditam inspicientes fingit.[5]) Ac Socrates, qui daemonio suo praecipue de rebus futuris se doceri persuasum habuit, tamen oracula somnia aliaque non modo non respuit, sed facile admisit et commendavit teste Platone.[6]) Xenophon etiam de eo tradit: *θύων τε γὰρ φανερὸς ἦν πολλάκις μὲν οἴκοι, πολλάκις δὲ ἐπὶ τῶν κοινῶν τῆς πόλεως βωμῶν καὶ μαντικῇ χρώμενος οὐκ ἀφανὴς ἦν.* [7]) Id quod iam ex his verbis suspicari licuit Socratem extispicium quoque fovisse, multo probabilius nobis exsistet, si in memoriam nobis revocaverimus, quan-

[1]) Fragm. Philos. Graec. vol. II p. 85 ed. Mullach.
[2]) Cic. de div. I 5; Ps. Plut. de plac. phil. V 1.
[3]) Cic. de div. I 131. [4]) Supp. 211 seqq. [5]) Aves 1118.
[6]) Crito p. 44 A, Phaedo p. 60 D; cf. Xen. Mem. II 6, 8, IV 7, 10, Anab. III 1, 5. [7]) Xen. Mem. I 1, 2.

tum Xenophon, Socratis discipulus, extispicio attribuerit; ut enim erat huius disciplinae ipse peritissimus,[1]) Cyrum quoque iuvenem hac in re eruditum fingit.[2]) Plato, si temporum ordinem persequimur, in Tim. p. 72 B haec exposuit: *καὶ ἔτι μὲν δὴ ζῶντος ἑκάστου τὸ τοιοῦτον (ἧπαρ) σημεῖα ἐναργέστερα ἔχει.* Pergit autem dicere sic: *στερηθὲν δὲ τοῦ ζῆν γέγονε τυφλὸν καὶ τὰ μαντεῖα ἀμυδρότερα ἔσχε τοῦ τι σαφὲς σημαίνειν.* Quibus verbis, ut breviter comprehendamus, abiecit extispicium; divinationem vero, quae originem habet ex insomniis, defendit. Sed nihilominus aliud quid haud contemnendum discimus e Platonis illa disputatione. Addamus modo, quomodo circumscripserit iecoris munus atque officium p. 71 B: *θεὸς . . . τὴν τοῦ ἥπατος ἰδέαν ξυνέστησε . . . πυκνὸν καὶ λεῖον καὶ λαμπρὸν καὶ γλυκὺ καὶ πικρότητα ἔχον μηχανησάμενος, ἵνα ἐν αὐτῷ τῶν διανοημάτων ἡ ἐκ τοῦ νοῦ φερομένη δύναμις, οἷον ἐν κατόπτρῳ δεχομένῳ τύπους καὶ κατιδεῖν εἴδωλα παρέχοντι φοβοῖ μὲν αὐτὸ* (sc. *τὸ ἐπιθυμητικὸν τῆς ψυχῆς*) *ὁπότε μέρει τῆς πικρότητος χρωμένη ξυγγενεῖ χαλεπὴ προσενεχθεῖσα ἀπειλῇ κατὰ πᾶν ὑπομιγνῦσα ὀξέως τὸ ἧπαρ χολώδη χρώματα ἐμφαίνοι, ξυνάγουσά τε πᾶν ῥυσὸν καὶ τραχὺ ποιοῖ, λοβὸν δὲ καὶ δοχὰς πύλας τε τὰ μὲν ἐξ ὀρθοῦ κατακάμπτουσα καὶ ξυσπῶσα, τὰ δὲ ἐμφράττουσα συγκλείουσά τε, λύπας καὶ ἄσας παρέχοι, καὶ ὅτ' αὖ τὰ ἐναντία φάσματα ἀποζωγραφοῖ πρᾳότητός τις ἐκ διανοίας ἐπίπνοια τῆς μὲν πικρότητος ἡσυχίαν παρέχουσα.* Haud facile, ut nobis quidem videtur, negabit quispiam huius descriptionis rationem ab extispicio esse desumptam. Nam in iecore ut in speculo hoc quoque loco conspiciuntur signa quaedam. Sane *ἡπατοσκόπου* munera quasi transferuntur ad animae partem, quam *τὸ ἐπιθυμητικόν* vocare solet Plato. Sed hoc exemplo[3]) satis clare demonstratur, si recte intelleximus, extispicium nihil non valuisse ad philosophorum sententias expoliendas, id quod infra erit in memoriam revocandum.

---

[1]) Anab. V 6, 29. [2]) Cyrop. I 6, 2.

[3]) Inde hausit sine dubio is, qui confecit dialogum qui inscribitur *Hermippus sive de astrologia* haec verba: *καὶ εἰς πρόγνωσιν ἡμῖν συντελεῖ· ἡ γὰρ τοῦ ἥπατος φύσις, λειοτάτη οὖσα καὶ καθαρωτάτου αἵματος συγκειμένη, ὥσπερ ἐν ἐσόπτρῳ τῷ τούτου σώματι ἐσθ' ὅτε ἐμφαίνει τὰ μέλλοντα, καθ' ὅσον καθαρότητος αὐτῇ μέτεστι* (§ 83 Kroll-Viereck).

Non miramur, ut porro procedamus, quod **Diogenes** ille Cynicus, cum haruspicem vidisset, conclusit nihil esse stultius quam hominem.[1]) **Aristoteles** vero *τὸ κατ' ἐνθουσιασμόν* et somnia tantum defendit.[2]) Eum, qui naturam perspicere summopere studebat extispicium plane abiecisse satis comprobatur iis verbis quae legimus hist. anim. I 17: *τὸ δ' ἧπαρ ὡς μὲν ἐπὶ τὸ πολὺ καὶ ἐν τοῖς πλείστοις οὐκ ἔχει χολήν, ἐπ' ἐνίοις δ' ἔπεστιν . . . συμβαίνει δὲ τοῦτο καὶ ἐν τοῖς ἱερείοις, οἷον ἐν μὲν τόπῳ τινὶ τῆς ἐν Εὐβοίᾳ Χαλκιδικῆς οὐκ ἔχει τὰ πρόβατα χολήν, ἐν δὲ Νάξῳ πάντα σχεδὸν τὰ τετράποδα τοσαύτην, ὥστε ἐκπλήττεσθαι τοὺς θύοντας τῶν ξένων, οἰομένους αὐτῶν εἶναι τὸ σημεῖον, ἀλλ' οὐ φύσιν αὐτῶν εἶναι ταύτην.*[3]) Cum magistro fecit **Dicaearchus**, Stagiritae discipulus.[4]) **Epicurum**, qui teste Lucretio[5]) primus liberavit homines sub gravi religione oppressos, divinationem reiecisse per se patet. Quam ob rem libenter assentimur Ciceroni dicenti *nihil eum tam inrisisse quam praedictionem rerum futurarum.*[6]) Sed nemo hanc in rem saepius inquisivit quam **Stoici**, qui ea, quae multitudini vera videbantur, ut Senecae utamur verbis,[7]) *exaequare et connectere studebant cum philosophorum sententiis.* Cum igitur populi vel plebis opiniones servare vellent, iis non cum Epicuro aliis divinationem despicere ac respuere licuit. Immo vero iterum iterumque illam defendere conati sunt. Sic post Zenonem et Cleanthem Chrysippus totam de divinatione duobus libris explicavit sententiam.[8]) Ut omittamus Sphaerum Bosporanum, Diogenem Babylonium, Antipatrum,[9]) Posidonius de tota re fusius egit quinque libris.[10]) Sed de artificiosa tantum divinatione, praecipue de extispicio, quid censuerint Stoici, colligamus. Satis est uno verbo dixisse Chrysippum Diogenem Antipatrum hoc modo conclusisse rationem:

---

[1]) Diog. Laert. VI 2, 20. [2]) Ps. Plut. de plac. phil. V 1.
[3]) Cf. Plin. N. H. XI 191. [4]) Cic. de div. I 5 et Ps. Plut. l. l.
[5]) De rerum nat. I 62 seqq. [6]) De nat. deor. II 162; de div. I 5; Ps. Plut. l. l. [7]) Sen. epist. mor. XIX 8 (117), 6.
[8]) Cic. de div. I 6; cf. Stoicorum veterum fragmenta coll. ab Arnim II 342 seqq.
[9]) Cf. C. **Wachsmuth**, *Die Ansichten der Stoiker über Mantik und Dämonen*, Berlin 1860 p. 13. [10]) Cic. de div. I 6.

esse deos, ergo sane esse divinationem.[1]) Neque autem persuadere sibi poterant Stoici id quod vulgus pro vero habebat deum ipsum singulari quoque temporis momento efficere in iecore signa. Quod Seneca, qui Stoicorum philosophiae erat deditus, his denegavit verbis:[2]) *nimis illum* (sc. *deum) otiosum et pusillae rei ministrum facis, si aliis somnia, aliis exta disponit.* Item Cicero, licet ab adversariorum steterit partibus, testatur[3]): *non placere Stoicis singulis iecorum fissis aut avium cantibus interesse deum. neque enim decorum esse, nec dis dignum, nec fieri ullo pacto posse.* Attamen, ut supra vidimus, non omnino supervacaneos Stoici reddebant deos.[4]) Quorum voluntatem ut cum haruspicina consociarent, haec sibi fingebant: *ita a principio inchoatum esse mundum, ut certis rebus certa signa praecurrerent alia in extis, alia in avibus, alia in fulgoribus,*[5]) aut, ut Seneca rem explanavit:[6]) *fatorum series indicia futuri ubique praemittit.* Posidonius imprimis a rerum omnium naturalium consensu concentuque profectus docuit *in natura signa quaedam esse rerum futurarum.*[7]) Nova, quae exinde exstitit, difficultas minorem esse signorum numerum, quam ut omnia praemonerentur, his profligabatur verbis: *permulta esse signa nobis quidem ignota.*[8]) Sane non cognoscebant vel agnoscere nolebant Stoici hac argumentatione a se ipsis deos antea defensos impugnari.[9]) Sed si vel id concedebatur, restabat quaestio, quo quisque modo indagaret signa sibi ipsi sive naturalium rerum concentu sive deorum voluntate destinata. Atque Chrysippus Antipater Posidonius docebant *ad hostiam deligendam ducem esse vim quandam sentientem atque divinam, quae toto confusa mundo esset.*[10]) Quibus Ciceronis verbis Seneca quoque assentiri videtur, cum pugnat[11]) contra alios, qui sibi solvebant hanc quaestionem docentes:[12]) *cum immolare quisquam vellet, tum fieri extorum mutationem, ut aut abesset aliquid aut superesset, deorum enim numini parere omnia.* Non eandem igitur Stoici omnes secuti sunt in hac re explananda rationem. Quin etiam Panae-

---

[1]) Cic. de div. I 82. [2]) Quaest. nat. II 32. [3]) De div. I 118.
[4]) Sen. l. l. [5]) Cic. l. l. [6]) Sen. l. l.
[7]) Cf. C. Wachsmuth. l. l. p. 27. [8]) Wachsmuth. p. 23.
[9]) Wachsmuth. p. 29. [10]) Cic. de div. II 35.
[11]) Quaest. nat. II 32. [12]) Cic. l. l.

tius Stoicus, etsi non ausus est omnino negare vim esse divinandi, dubitare de ea se dixit[1]) fortasse Carneadem secutus.[2])

Praeter haec quae enarravimus philosophorum de extispicio testimonia exstant alia aliorum posterioris plerumque aevi hominum dicta. Sed in his haud ita certe distribuantur, quae ad merum Graecorum morem spectent, quae ad Etruscum extispicium. Qua de causa omnia quae supersunt servato tantum, quantum rebus opportunum esse videbatur, temporis ordine congessimus. Ea in re hoc in universum dici potest haud paucos fuisse omnibus temporibus, qui extispicum artem aspernarentur, cum apud reliquos per multa perduraret saecula huius disciplinae usus.

Alexandri,[3]) Arati,[4]) Hannibales,[5]) Caesares,[6]) si ab his ordiri licet, extispicium modo omnino spreverunt, modo suae accommodabant voluntati. Si ad poetas transire placet, in Plautinis fabulis bis commemorantur haruspices; atque e priore loco concludere nihil licet, cum poeta Iovem fecerit tantum hoc dicentem: *Bono animo es . . . Amphitruo, hariolos, haruspices mitte omnes.*[7]) Altero loco lenonem finxit hoc affirmantem:

condigne haruspex, non homo trioboli
omnibus in extis aiebat portendi mihi
malum damnumque et deos esse iratos mihi.[8])

Attamen haec signa aguntur et infortunium adipiscitur leno, quem eventum e Graeco exemplari in usum suum convertisse Plautum constabit.

Notissimum etiam Ciceroniano aevo erat *vetus illud Catonis, qui mirari se aiebat, quod non rideret haruspex, haruspicem cum vidisset.*[9]) Qui hoc legerit, non mirabitur Catonem ad vilicum haec scripsisse: *haruspicem, augurem . . . ne*

---

[1]) Cic. de div. I 6.

[2]) Testimonia non plane concinunt, v. Zeller l. l. III[3] 1 p. 567 adnot. 5.

[3]) Front. Strat. I 11, 14; Curt. Ruf. hist. Alex. VII 7, 8, IX 4.

[4]) Plut. Arat. 43. [5]) Cic. de div. II 52; Val. Max. III 7, 6.

[6]) Suet. Div. Iul. 77 et 81; Polyaen. Strat. VIII 23, 32; App. bell. civ. II 116; supra p. 15. [7]) Amphitr. 1132 Leo.

[8]) Poen. 463 Leo. [9]) Cic. de div. II 51.

quem consuluisse velit; *nam id infelix est.* [1]) C. autem Gracchus Herennio Siculo usus est haruspice.[2]) Contra M. Terentius Varro haud nimiam fidem extorum inspectioni habuisse videtur. Legimus enim in sat. Menip. fragmento quodam (n. 451 Buecheler [4]): *extispices disputantes relinquo.* Veri est simillimum Pomponium quoque in fabula illa Atellana irrisisse extispices, quae quidem paene cum nomine ipso deleta est. Exstat solus titulus *Aruspex vel Pexor rusticus.*[3]) Non improbabile videtur ad eosdem spectasse Laberii mimum qui vocabatur *Tusca,* [4]) praesertim cum apud Plautum quoque occurrerit *haruspica.* [5]) Ciceronis deinde temporibus *omnes fere utebantur extis, aliquanto minus tamen quam olim,* [6]) idemque *nihil in bello sine extis egisse* Romanos testatur. [7]) Sane his temporibus haruspices h. e. extispices semper erant in numero apparitorum magistratuum, unde in titulis lapideis haud raro commemorantur, [8]) quo factum est ut servatum habeamus per inscriptionem, quantam acceperint mercedem illi.[9]) Quin etiam *qui haruspicinam faciebant, in senatum Romae legebantur,* [10]) sed hoc videtur contra usum factum esse. Praeterea Cicero censet *haruspicinam rei publicae causa communisque religionis colendam esse.*[11]) Tamen et ipse Tullius de plerisque dubitat et in libris de divinatione conscriptis, quae exstent in extispicio discrepantias indagavit, quae tot sunt, ut hoc proferat iudicium: *dum haruspicinam veram esse vultis, physiologiam totam pervertitis.*[12]) Sed nihil ea Ciceronis valuit sententia; nam porro viguit extispicium atque floruit, quod nobis illustrant exempla haud pauca e Caesaris et Augusti temporibus petita.[13]) Ac Lygdamus poeta hunc composuit versum *vera monent Tuscis exta probata viris.*[14]) Deinde nolumus omittere, quomodo

---

[1]) De agric. V 4. [2]) Val. Max. IX 12, 6.
[3]) Ribbeck Scaen. Rom. poes. fragm. vol. II p. 226.
[4]) Ribbeck l. l. p. 294. [5]) Plaut. mil. glor. 692 Leo.
[6]) Cic. de div. I 28. [7]) De div. I 95.
[8]) Cf. G. Wissowa, *Religion und Kultus der Römer* p. 474.
[9]) Lex Col. Genet. c. 62, CIL II 5439.
[10]) Cic. ad fam. VI 18. Cf. Wissowa l. l.
[11]) De div. II 29. [12]) De div. II 37.
[13]) Cf. exempla supra p. 15 seq. allata. [14]) Tib. III 4, 6.

Vitruvius rem sibi explanaverit. Laudat enim maiores,[1]) quod *pecoribus immolatis, quae pascebantur, in iis locis, quibus aut oppida aut castra stativa constituebantur, inspiciebant iocinera, et si erant livida et vitiosa primo, alia immolabant dubitantes utrum morbo an pabuli vitio laesa essent. cum pluribus experti erant et probaverant integram et solidam naturam iocinerum ex aqua et pabulo, ibi constituebant munitiones, si autem vitiosa inveniebant, iudicium transferebant item humanis corporibus pestilentem futuram nascentem in his locis aquae cibique copiam et ita transmigrabant et mutabant regiones quaerentes omnibus rebus salubritatem.* Val. Maximus dicit de prisco instituto inquirendi vel extis vel sortibus.[2]) Tiberius imperator teste Suetonio[3]) *haruspices secreto ac sine testibus consuli vetuit.* Unde concludimus ipsam extispicinam fuisse permissam, dummodo testes adhiberentur. Etiam Nero imperator *paucis ante mortem mensibus attendit extispicio.*[4]) Atque in Onosandri libro qui *Στρατηγικός* inscribitur expresse imperatori, ut ante proelium committendum exta inspiciat mandatur.[5]) Seneca Neronis magister, ut erat Stoicus, diligenter materiam nostram tractavit; apud eum plane insertum invenimus extispicium in seriem prodigiorum. Legimus enim Quaest. nat. II 34: *Quicquid exta, quicquid aves minantur, secundo fulmine abolebitur. Quicquid fulmine denuntiatum est nec extis nec ave contraria refellitur.* Iam in propatulo nobis est, cur in tragoediis quoque extispicii commemorandi et artificiose describendi nullam praetermiserit occasionem.[6]) Senecae consobrinus, Lucanus poeta, eadem in re versatus est, quod ostenditur extispicii artificiosa descriptione, quam protulit Pharsal. I 618 seqq. Contra Petronius Arbiter, eodem modo quo in Pharsalia impetum faceret (Sat. 118), extispicium quoque a Lucano tanta voluptate exornatum illusit his verbis: *recluso pectore (anseris) extraxit fartissimum iecur et inde mihi futura praedixit.*[7]) Columella, rerum rusticarum scriptor, plane despicit haruspices similiter atque Cato, *quia vana superstitione rudis animos ad impensas ac deinceps ad flagitia compellunt.*[8]) Sed iisdem

[1]) De architectura I 4, 9. [2]) I 1, 1. [3]) Tib. 63,
[4]) Suet. Nero 56. [5]) X 10. [6]) V. supra p. 18. [7]) Sat. 137.
[8]) De re rust. I 8, 6.

fere temporibus Plinius maior natu testatur *circa extispicium magnam mortalium portionem haerere.*[1]) Ac Plinius minor ab aequalibus huic divinationi summum tributum esse memorat momentum.[2]) Galba imperator eadem divinandi ratione usus est, id quod Suetonius memoriae tradidit,[3]) eadem Vespasianus[4]) et Titus.[5]) Taciti de hac re iudicium elucet e verbis *has ambages et statim exceperat fama et tunc aperiebat* (sc. *extispex*).[6]) Maxime autem delectamur ea ratione, qua Phlegon Trallianus, ut alia divinationis genera, ita extispicium quoque connectit cum fabulosa Sibylla fatidica, de qua verba facit haec[7]): *διὰ τούτου τοῦ χρησμοῦ* (quem antea exscripserat) *ἀποδείκνυται δέκα γενεὰς αὐτὴν κατ' ἀνθρώπους γεγονέναι, καὶ μετὰ τὴν ἀναχώρησιν τὴν ἐκ τοῦ ζῆν, τῆς μὲν ψυχῆς κατὰ τὸν ἀέρα φερομένης, καὶ προσπιπτούσης τοῖς ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων λαλουμένοις, παρασκευάσειν τὰς γενομένας κληδόνας διὰ τῶν λόγων, τοῦ δὲ σώματος ἀτάφου γενομένου τὰ μὲν ὄρνεα τῶν σαρκῶν φαγόντα, τὴν διὰ τῆς ὀρνιθοσκοπίας μαντείαν διασημαίνειν, τοῦ δὲ ὑπολοίπου μέρους εἰς τὴν γῆν σαπέντος, καὶ τὰ κτήνη φαγόντα τῆς ἐκ τῆς γῆς φυομένης πόας, τὴν ἡπατοσκοπικὴν εἰς τὸν βίον εἰσάξειν τέχνην.*

Artemidorus praeter artem *ὀνειροκριτικὴν* extispicium quoque vera praedicere censet[8]); Apuleius Madaurensis, qui Platonicus vocari solet, exposuit singulis daemonibus tributas esse certas provincias *vel somniis conformandis vel extis fissiculandis.*[9]) Ad daemones enim libentissime, etsi haud semper dilucide deferebatur omnis divinatio.[10]) Cum Apuleio fecit Maximus Tyrius, qui e divinatione deorum conclusit esse providentiam.[11]) Sed in usu quoque fuisse extispicium primis p. Chr. n. saeculis habemus testimonium: nam Caracalla imperator ab extis desumpsit signa;[12]) contra eius aequalis

[1]) N. H. VIII 102. [2]) Epist. II 20, 4. [3]) Galba 19.
[4]) Tac. hist. II 78. [5]) Tac. hist. II 4. [6]) Tac. hist. II 78.
[7]) De longaev. 4. Cf. Plut. de Pyth. or. 9.
[8]) Onirocr. II 69. [9]) De deo Socr. 6.
[10]) Qua de re conferas quae exposuit Wachsmuthius l. supra p. 38 l. p. 29 seqq. et Iambl. de myst. Aeg. III 1 et 15 et 16.
[11]) XIV 7. [12]) Cass. Dio LXXVIII 7.

Philostratus a philosophia Pythagorica profectus extispicium non probavit,[1]) qua in re verba quibus utitur ad Platonis iecoris descriptionem supra (p. 37) allatam spectare videntur. Longius si progredimur Heliogabalus Syrus occurrit, qui exta puerilia inspexisse dicitur.[2]) Alexander Severus *haruspicinae ipse erat peritissimus*[3]) et *haruspicibus cum mathematicis aliis salaria instituit et auditoria decrevit.*[4]) At Porphyrius, Plotini discipulus, quam vehementissime pugnat contra extispicium his verbis: *ὥσπερ ἀδικίας καὶ πλεονεξίας ἦν τὸ ἕνεκα μαντείας ἀναιρεῖν τὸν ὁμόφυλον, οὕτω καὶ τὸ ἄλογον ζῶον σφάττειν μαντείας ἕνεκα ἄδικον.*[5]) Novam autem proposuit quaestionem his verbis: *πότερα δὲ τὰ σημεῖα οἱ θεοὶ ἐπιφαίνουσι ἢ δαίμονες ἢ ψυχὴ ἀπαλλαττομένη τοῦ ζῴου.* Primus igitur, quantum nos quidem videmus, signa in iecure obvia ab anima hostiae vitam linquente imprimi putabat. Nam Silii Italici verba *sacerdos fugientem animam properatis consulit extis*[6]) pro poeticae orationis ornamentis tantum habenda sunt, et apud reliquos plerumque aut dei aut daemones efficiunt signa fatidica, qua de re infra plura dicentur.

Haud nimia fides habenda est, si porro enumerare licet, christianis scriptoribus, qui tradunt Valerianum imperatorem homines sacrificasse eorumque exta perquisivisse.[7]) Contra Aurelianus vetuit milites haruspicibus quicquam dare.[8]) Diocletianus rursus usus est extispicibus.[9]) Maxentium christiani iidem narrant infantium exta rimatum esse.[10]) Etiamsi talia opprobria haud raro ex odio, quod christianorum scriptores in imperatores habebant, fluxisse putant viri docti, tamen haud facile quisquam allatas Maxentio criminationes repellat.[11]) Extispicio quidem, licet non humano Maxentium usum esse Zosimus testatur his verbis: *τῶν δὲ μάντεων ἐκθυσαμένων*

---

[1]) Vita Apoll. VIII 7, 15. [2]) Vita Heliogab. 8.
[3]) Vita Alex. Sev. 27. [4]) l. l. c. 44. [5]) De abstin. II 51.
[6]) Pun. I 121.
[7]) Niceph. Hist. Eccl. VI 10; Euseb. Hist. Eccl. VII 10, 4.
[8]) Vita Aurel. 7. [9]) Lact. de mortibus persec. 10.
[10]) Niceph. Hist. Eccl. VII 21; Euseb. Hist. Eccl. VIII 14, 5 et vit. Const. I 36.
[11]) J. Burckhardt, *Die Zeit Constantins des Großen*[3] p. 258.

αἴσια τε οὐκ εἶναι λεγόντων, ὀκνήσας τὸν ἔκπλουν διά τε τὸ μὴ καλὰ φανῆναι τὰ ἱερὰ . . . ἐνετράπη. [1]) Denique non miramur, quod Iulianus qui vocatur Apostata hoc usurpavit genus divinandi.[2])

Videmus igitur a variis posteriore aevo nobilioribus extispicium modo omnino abiectum, modo summopere defensum esse. Apud populum vero vel plebem semper floruit ita, ut codex ille qui dicitur Theodosianus extispices summis terreret suppliciis: *ne ullus haruspex limen alterius accederet* [3]), qui autem ausurus esset spirantia exta consulere, eum eodem modo punitum iri atque laesae maiestatis reum. [4]) Neque superfluae erant hae minae; nam nunc e papyro nuper in Aegypto inventa compertum habemus ibi etiam tertio et quarto p. Chr. n. saeculo extispicium floruisse. [5])

Quod cum ita se haberet, christiani quoque patres ecclesiastici contra hunc usum sententias dicere debebant. Ac Minucius Felix *daemones* exhorret *extorum fibras animantes*[6]), Cyprianus confitetur: *ἡπατοσκοπίαν ἔμαθον καὶ ἐν βαρβάροις οἰωνισμόν.*[7]) Arnobius [8]) eandem fere sententiam profert atque Minucius. Eodem modo sibi explanavit haruspicum doctrinam Lactantius. Diocletiano enim sacrificante extispices *solitas in extis notas non videbant* Lactantio teste, *quia ministri christiani frontibus suis imposuerant crucis signum, qua re fugabant daemones in extis versatos.* [9]) Nec non Eusebius contra extispices pugnat demonstr. ev. V prooem. § 29.

---

[1]) Zos. II 12 et 16.

[2]) Amm. Marc. XXII 12; Zos. III 11, III 12. Apud ecclesiasticos scriptores legimus Iulianum in templo quodam feminam reliquisse capillis suspensam, cuius alvo dissecta Persicam victoriam ex iecore cognovisset (Niceph. Hist. Eccl. X 35; Theodoreti Hist. Eccl. III 21; Cassiodor. Hist. Tripart. VI 48).

[3]) IX 16, 1. [4]) XVI 10, 12 § 1.

[5]) *Amherst Papyri* ed. Grenfell-Hunt vol. II 14.

[6]) Octav. c. 27. [7]) Acta S. S. Septbr. t. VII p. 222, 44.

[8]) Adv. gent. IV 11. [9]) De mortibus persec. 10.

CAPVT TERTIVM

Quoniam in eo quod antecedit capite veterum scriptorum de extispicio sententias protulimus, nunc quid nobis de huius rei origine ac vi censendum sit comprehendamus. Qua in re non satis habebimus, ut veteres, dixisse inventorem quendam sive Delphum sive Tagetem mortalibus illud extispicium perfectum iam et expolitum tradidisse. Nam hodie scimus ut cetera ita extispicium quoque quasi ex incunabulis paulatim increvisse et in dies magis maturatum esse. Ac diligentius hanc in rem inquirentibus e veterum testimoniis nobis servatis satis clare elucet duos, ut ita dicam, extispicii gradus fuisse et apud Graecos et apud Etruscos. Nam una quidem ratio est, qua dinoscitur, utrum adsint in extis omnes, quae debeant, partes necne: id quod ex eo cognoscitur, quod magni momenti est et *ἄλοβον* ἧπαρ et *iecur sine capite;* altera ratio multo subtilior discernit singulas partes, v. c. *κάνεον, μάχαιραν, τράπεζαν* alia signa, quae Romanis sunt *venae minaces, pars familiaris*, *caput caesum* talia. Neque facile erremus censentes hac quoque in re, quae simpliciora sint, antiquiora etiam esse. Hoc ita esse demonstratur nobis perbene eo, quod, quamvis artificiosior postea valeret ratio, simpliciora illa signa, ἧπαρ *ἄλοβον* et *iecur sine capite* maiorem semper tenebant vim, id quod testimonia docent.[1]) Nisi omnia nos fallunt, duo quae Festus servavit testimonia[2]) auxilio nobis sunt, ut accuratius

[1]) V. supra p. 8—21.

[2]) S. v. *regalia exta* p. 289 M. et s. v. *muta exta* p. 157 M.; supra p. 21.

hanc rem perspiciamus. Nam etsi, ut supra capite primo exeunte demonstrasse nobis videmur, haud alterum ex altero vel utrumque ex eodem quodam fonte manarunt Graecorum et Etruscorum Romanorumve extispicium, tamen ad rem ipsam explicandam una sequenda est nobis ratio. Unam enim utraque eandemque habebat causam eundemque finem, ut futurae videlicet alicuius rei praenuntiaret exitum. Quam ob rem extispicium adhibebant veteres praecipue, priusquam flumen transgrederentur vel proelium committerent, aut priusquam iter vel agmen facerent vel talequid periculosi susciperent [1]); praeterea priusquam urbem vel castra stativa conderent [2]), vel cum animo de rebus futuris quocumque modo sollicitati essent. Sic papyrus illa s. p. 45 l. ante oculos nobis posuit aliquem exta inspicientem, priusquam amicum quendam sibi deligeret, quocum conferatur quod traditur Xenophontem extispicio cognovisse, utram sequi deberet partem. [3]) Apud Romanos simili ratione consules, quo die magistratum inierunt, exta de futuris interrogare solebant. [4]) Aegyptiorum rex idem faciebat, cum novum inciperet diem. [5]) Graecos priusquam Delphos vel in Delum insulam pompas ducerent, exta hostiarum inspexisse Philochorus memoriae tradidit. [6]) Denique summi momenti fuisse videtur extispicium, si quis nomine hominis alicuius enuntiato de eius vita sorteque per exta inquireret. Saepius quidem expresse laudatur Alexander, qui

---

[1]) Herod. VI 82, VII 76, IX 19, IX 36, IX 37, IX 61, IX 95; Xen. Anab. II 2, 3; IV 3, 19; V 2, 9; V 4, 22; VI 2, 15; VI 4, 9 seqq.; VII 8, 10; Hell. III 1, 17; III 4, 15; Oec. V 19; Plut. Arist. 18, Pyrrh. 25, Mar. 8, Sulla 27; Liv. VIII 9; XXVII 16; XXXVI 1; XLII 30; Val. Max. I 6, 9; Iul. Obsequ. 76; Zos. II 12. Huc spectant Lacedaemoniorum sacrificia quoque quae διαβατήρια vocantur oblata priusquam rex cum exercitu transgrederetur fines, ut Xenophon nos docet de rep. Laced. XIII 2 seqq.; cf. Thuc. V 54, V 55, Xen. Hell. IV 7, 2; V 3, 14; V 4, 37.

[2]) Aristoph. Aves 1118; Xen. Hell. IV 7, 7; Vitruv. de arch. I 4, 9.

[3]) Xen. Anab. VII 6, 44.

[4]) Liv. XXX 1, XLI 14, XLII 30; Plin. N. H. XI 168, XI 189, XI 190; Cic. de div. I 119.

[5]) Diodor. I 70, 5.

[6]) Schol. Soph. Oed. Col. 1047, FHG I p. 411 frg. 158 et ib. IV p. 648.

extispicem de se exta interrogantem non puniverit.[1]) Atque Tacitus narrat Titum de se ipso non nisi per ambages exta inspexisse.[2]) Orta sunt talia fortasse ex vulgari antiquorum opinione nomine enuntiato hominem ipsum per magiam defigi in dei cuiusdam vim ac potestatem.[3]) Nec improbabile videtur hinc profectum esse illud imperatorum vetitum contra extispices factum et in Theodosiano codice servatum.[4])

Sed redeamus ad testimonia illa apud Festum obvia, quae supra p. 21 exscripsimus. Ostendunt nobis certum in finem semper tendere signorum interpretationem. Quae boni augurii sunt exta, significant augeri quodammodo interrogantis condiciones, mala efficiunt contrarium. Quis autem est, qui dubitet in antiquioribus et simplicioribus extispiciis ea exta fuisse bona, in quibus quae debebant aderant omnia vel adeo aucta erant, mala in quibus defuit aliquid? Quam sententiam comprobatam videmus his verbis Plinianis *in corde summo pinguitudo quaedam est laetis extis.*[5]) Hinc per sympathiam quandam populari superstitioni propriam concludebatur extis integris vel auctis significari sanitatem, divitias, bonam sortem[6]), contra laesis vel detortis praedici morbum, damnum, malum vel mortem[7]); nam *λοβὸς ἀφανὴς* et *caput deficiens* semper praenuntiabant calamitatem vel mortem. Quae sympathia satis clare elucet e verbis Plinianis de *capite caeso* factis.[8]) Nam nisi ab illa superstitione interpretationem repetimus, non recte

---

[1]) Plut. Alex. 73; Arrian. Anab. VII 18, 2. [2]) Hist. II 4.

[3]) Cf. A. Dieterich, *Eine Mithrasliturgie* p. 110ff.; Andrian, *Über Wortaberglaube, Corresp. Bl. der deutsch. anthrop. Gesellschaft* 1896 p. 20 seqq.

[4]) XVI 10, 12: (*Extispex*) *delatus excipiat sententiam competentem etiamsi nihil contra salutem principum aut de salute quaesierit. Sufficit enim ad criminis molem . . . . finem quaerere (velle) salutis alienae, spem alieni interitus polliceri.* [5]) N. H. XI 186.

[6]) Xen. Anab. VI 5, 21; VII 8, 10; Polyaen. Strat. IV 3, 14; Liv. XXXI 5, XXXVI 1; Plin. Epist. II 20, 4; Tac. hist. II 4; Amm. Marc. XXII 1.

[7]) Plut. Cim. 18; Xen. Anab. III 4, 15; Plut. Ag. 9; Xen. Hell. IV 7, 7; Arrian. Anab. VII 18; Plut. Pyrrh. 30; Iul. Obsequ. 76 et 115; Suet. Div. Iul. 81; Ovid. Met. XV 795; Sen. Oed. 357 seqq.; Plin. N. H. XI 189; Tac. hist. I 27. [8]) N. H. XI 190.

explicemus [1]), cur idem signum modo tristia significet, modo *dirimat curas*. E nostra autem explicatione simpliciter solvetur quaestio; caesum enim caput ostendit discindi aliquid, quod in suspenso adhuc erat. Ergo, ubicumque referendum fuit ad imperium vitam talia, tristia praemonuit, ubi autem ad curas, metum similia eodem modo haec diremit h. e. laetum praebuit signum. Talem rerum concordiam iam remotis temporibus et apud varios populos usurpatam esse atque adhuc usurpari ad ostenta interpretanda permulta nobis praebentur exempla.

Sed priusquam haec exempla afferamus [2]), liceat occasione data de voce *litare* agere. Nam ut scriptorum veterum utamur more dicendi, bonis vel laetis extis *litabatur*, tristibus *perlitatum non est*. Et G. Wissowa in libro, qui inscribitur *Religion und Kultus der Römer* [3]) e hoc vocis *litandi* usu sententiam de iecoris capite deficienti et de Romani Etruscique cultus ratione et concentu statuit hanc: censuit enim, atque hoc sine dubio recte, litationem merum Romanorum usum esse, quoniam apud Arvales fratres invenitur.[4]) Sed fortasse haud recte fecit, quod omnino non disiunxit litationem Romanam et extispicium Etruscum. Nam litationi vindicavit signum illud, quod in artificiosiore tantum extispicio occurrit sc. caput iecori deficiens, quo fit, ut exinde inter utrumque disiungi plane non possit.[5]) Sane in veterum testimoniis ipsis saepissime haec additur causa, cur aliquis non litaverit, quoniam in extispicio pro gravissimo habebatur signo [6]) *caput in iecore defecisse*. Sed haud crediderim litationem, morem mere Romanum, indicia sua desumpsisse ab Etrusco extispicio. Nam sumamus litationem illam Romanam plane ad easdem res spectasse, atque Etruscorum extispicium: tum concludendum nobis est, omnino opus non fuisse Romanis Etruscorum extispicium accipere, id quod revera factum esse inter omnes constat. Ergo inter utrumque morem erat aliquod discrimen, quod quale fuerit, ab auctoribus non traditur. Attamen nobis

---

[1]) Cf. Deecke l. l. p. 72 seq. [2]) V. infra p. 54 seq.
[3]) p. 353. [4]) CIL VI 2104 a, 23 seqq. [5]) p. 352 adn. 2.
[6]) Liv. XLI 15.

de eius natura coniecturam proponere liceat. Quam ut faciamus, ansam nobis praebet glossa Pauli e Festo desumpta s. v. *hariuga*. Legimus l. l.[1]): *hariuga dicebatur hostia, cuius adhaerentia inspiciebantur exta.* Quibus verbis alia indicatur sine dubio ratio exta inspiciendi: atque Etruscorum fuit extispicium, ubi *ereptas viventi pectore fibras* inspiciunt.[2]) Quaerentibus nobis, quomodo scriptores veteres vocem *hariugam* explanaverint, videntur testes, qui exstant, rem male perspexisse. Apponamus verba ipsa, praeter Pauli glossam iam commemoratam. Apud Varronem legimus[3]): *ariugas, haec sunt, quorum in sacrificiis exta in olla non in veru coquuntur, quas et Accius scribit et in pontificiis libris videmus. in hostiis eam dicunt ariugam, quae cornua habeat, quoniam si cui ovi mari testiculi dempti, ei ideo vi natura versa vervex declinatum.* Donatus scripsit ad Ter. Phorm. IV 4, 28: *haruspex ab haruga nominatur. nam haruga dicitur hostia ab hara in qua includitur et servatur.* Velius Longus grammaticus docet[4]): *arispex ab ari(u)ga, quae est hostia, non aruspex.* Denique exstat glossema incertae originis[5]): *ariuges hostium.* Haud absurdum est animadvertere testimonia, quo longius ab origine discesserint, magis magisque deminui atque obscurari. Glossema extremum, ut leviora primo loco absolvamus, hoc tantum servabat ariugam esse hostiam. Nam *hostium* verbum sine dubio singularem formam praebet contra legem derivatam ab *hostia*, quae pro plurali forma neutrius generis habebatur. Nihil fere novi docet Velius. Donatus parum feliciter vocem *haruga* derivare conatus est ab *hara*. Restant igitur duo tantum testimonia Varronis et Pauli, h. e. Verri Flacci, quorum alterum altero explicabitur. Ut incipiamus a Varrone, ne is quidem rem, de qua agitur, satis perspexit. Nam illius quae exscripsimus verba clare dilabuntur in duas partes, quarum posterior incipit a voce *in hostiis*, quae pars cum priore tantum per vocem principalem *hariuga* cohaeret, quae in utraque parte diverso modo explicatur. Unde concludimus Varronis tempo-

1) p. 100 M; supra p. 21.
2) Ovid. Met. XII 127; Sen. Thyest. 755; supra p. 18.
3) L. L. V 98.
4) Gramm. Lat. vol. VII p. 73, 9 Keil.
5) Corp. gloss. V 441, 11.

ribus huius verbi usum atque originem desiisse plane perspici et Varronem ipsum hausisse scientiam suam duobus e fontibus. Alterum ipse nominat: Accium et libros pontificios; alterum ei praebuit usus cotidianus. Illorum cum testimonium haud sit spernendum, aliquid veri sine dubio in his memoriae tradidit. Quod quale fuerit, ut perspiciamus, fortasse nos iuvant quae inter se opponuntur verba *in olla*, *non in veru*. Exta, quae *in veru* coquuntur, pertinent ad bellicam populi Romani virtutem ac nostra quidem sententia nihil nos impedit, quominus ea ad remotiora tempora referamus. Nam anno 176 a. Chr. n. Livio teste[1]) etiam quae de bello interrogabantur exta *in ollis* coquebantur. Opponuntur autem in testimonio Varroniano extis in veru coctis ea, quae in olla coquuntur. Ergo haec ad aliud quid referenda sunt, non ad belli usum. Quibus verbis circumscribitur, ut breviter dicam quid sentiam, eorum, qui sedem stabilem et domicilium habent h. e. agricolarum mos atque usus primitivus, qui postea quidem, ut modo e Livio cognovimus, ad bellantes quoque translatus est. Quae si vera sunt, movetur suspicio, primitivum morem in olla coquendi exta haud alienum esse a ritu sacrificandi quem observabant fratres Arvales, a quibus rusticorum hominum dei praecipue colebantur. Quod haud improbabile nos quidem habemus, postquam legimus eorum in cultu *ollis* summam fuisse vim adhuc parum perspectam.[2])

Iam vero arcessendum est testimonium alterum Verrianum, quo de eadem hariuga traditur, eius exta inspecta esse adhaerentia. Si recte adhuc conclusimus, Arvales ii erant, qui hostiae inspiciebant exta adhaerentia, ut eam *probarent* priusquam deae offerrent. Si non suffecerat hostia huic probationi h. e. si non *litaverat*, omnino non offerebatur, nam ad sacrificandum non accepta erat. Immo altera mactabatur hostia, quae vocatur *succidanea.*[3]) Quod fieri solebat *usque ad litationem* h. e. donec apta inventa esset hostia. Quibus rebus demonstratur verbum *litare* significare: probationi et corporis et extorum sufficere. Atque id verum esse optime

---

[1]) XLI 15. [2]) Wissowa l. l. p. 487 adnot. 5.
[3]) Gellius Noct. Att. IV 6, 6.

illustratur his verbis Plinianis [1]): *quam ob rem victimarum probatio in vitulo, ut (cauda) articulum suffraginis contingat. breviore non litant.*

Duo autem exstant testimonia, quae nostra quidem sententia docent, quomodo ex inspectione extorum litationem cognoverint. Apud Plinium maiorem legimus [2]): *lien in sinistra parte adversus iecori, cum quo locum aliquando permutat, sed prodigiose.* Unde concludendum est Romanos si probare vellent considerasse extorum situm. Quoniam talequid in testimoniis de extispicio servatis nusquam postea occurrit, hoc referimus ad inspectionem illam litationis, praesertim cum id in adhaerentibus tantum extis potuerit cognosci. Alterum testimonium conscripsit Labeo apud Fulgentium, [3]) ubi legimus haec: *fibrae iecoris sandaracei coloris dum fuerint, manales tunc verrere opus est petras.* Liceat afferre verba, quae Georgius Wissowa de hoc loco fecit [4]): *Auf dem Schwindelzeugnis des Fulgentius beruht die falsche Annahme K. O. Müllers (Etrusker* 2, 318*f.*), *daß der ganze Ritus ein etruskischer sei.* Muellerum secutus Deeckius quoque ritum illum cum Etrusca disciplina coniunxit [5]), quod idem Wissowa l. l. uberius refutavit, cuius opinioni favet, quod in extispiciis de colore extorum numquam dicitur nisi in artificiosissimis apud Senecam et Lucanum descriptis. [6]) Attamen illud Fulgentii licet fictum sit, per casum veri aliquid retinere potuit. Fortasse enim, si fibrae iecoris sinistri erant coloris, ira deorum procuranda erat, quam procurationem iisdem tribuam fratribus Arvalibus. Nam cuius magis interfuit pluvium praescire et elicere id quod lapide manali perficitur [7]) quam Arvalium, qui *sacra publica faciunt, ut fruges ferant arva?* [8]) Quae si recte se habent, in litatione illa, quae erat forma mere Romana probationis, situs et color extorum inspicie-

---

[1]) N. H. VIII 183. [2]) N. H. XI 204.

[3]) P. 112, 11 Helm; supra p. 22.

[4]) In Roscheri *Lex.* II 2309 s. v. *Manalis lapis.* [5]) L. l. p. 70.

[6]) Praeterea hi fortasse commiscuerunt Romanum et Graecum ritum, ut erant poetae qui habentur docti.

[7]) Cf. Wissowa *Religion und Kultus* p. 106.

[8]) Varro l. l. V 85.

bantur, quod facillime fieri potuit, dum exta erant adhaerentia.

Posteriore aevo, quod compluribus testimoniis nobis illustratur, postquam extispicium Etruscorum acceperunt Romani, res aliter se habet. Mactantur quidem eo quoque tempore hostiae succidaneae sed vel nullam vel aliam habent vim. Ita secundo bello Punico Marcello sacrificante laetissimis succidaneae extis omnino nihil tribuebatur.[1]) Contra Petillius ineunte saeculo a. Chr. n. secundo e succidanearum extis deprompsit signa.[2]) Ciceroniano porro aevo succidaneae hostiae vim a primitiva plane alienam acceperant. Hoc concludimus ex eo, quod Cicero [3]) miratur *inconstantiam deorum*, *qua primis minentur extis, bene promittant secundis.* Unde elucet illo aevo praeter succidaneam priorem quoque hostiam vim quandam retinuisse, cum antiquissimis temporibus, ubi primum succidanea mactanda erat, prima hostia, quia non accepta fuerat ad sacrificandum, omnino nihil valuisset. Hoc autem posteriore aevo sibi fingebant maioribus hostiis pro succidaneis immolatis primae hostiae omina quasi superanda et deorum animos flectendos esse.[4]) Reservabatur autem prisca formula *usque ad litationem sacrificare*, sed mutabatur sensus, cum illis temporibus haec fere subaudirent: donec dei auctis hostiis superati bona mittant signa.[5])

Iam vero quaerendum est, utrum in extispicio ab Etruscis accepto prisca *litationis inspectio* servata sit necne. Nostra quidem sententia illud fuisse demonstratur e Servii adnotatione [6]): *colligi nisi ex sana victima futura non possunt.* Quod si recte se habet, extispicium verum, quo futura divinabant Etrusci, a Romanis primo alienum ad indigenam Latinorum litationis inspectionem postea se applicavit. Id eo facilius fieri potuit, quod Etruscorum extispicio rudis ipsorum et inculta litatio tamquam expoliri atque augeri Romanis visa est. Quae cum ita essent, merus ille Romanus mos, ut saepius, prae

[1]) Liv. XXVII 26; Plut. Marc. 29; Val. Max. I 6, 9.
[2]) Liv. XLI 15. [3]) De div. II 38; supra p. 15.
[4]) Müller *Etrusker* II² p. 186 seq.
[5]) Liv. XLI 15; Suet. Div. Aug. 86.
[6]) Ad Verg. Geo. III 489.

alieno recessit vel cum eo commixtus est. Posteri qui prisci ritus formulas nobis servarunt, ut alias ita hic quoque quid valerent non recte perspexerunt.

Sed horum quae de litatione diximus, singula lubrica esse non negaverim; quare adeamus certiora h. e. exempla illa, quibus docemur variarum rerum consensum concentumque maximum valuisse ad ostenta interpretanda.[1]) Quorum perpauca iam libet affere. Suetonius memoriae prodidit[2]) primum ramum quercus Marti sacrae in suburbano Flaviorum natae exilem et cito arefactum nuntiasse maturam mortem puellae natae. secundum praevalidum ac prolixum portendisse magnam felicitatem, tertium vero instar arboris provenientem docuisse Caesarem esse genitum. Tacitus vero hoc tradidit[3]): *bicipites hominum aliorumve animalium partus abiecti in publicum aut in sacrificiis, quibus gravidas hostias immolare mos est, reperti et in agro Placentino viam propter natus vitulus, cui caput in crure esset; secutaque haruspicum interpretatio, parari rerum humanarum aliud caput, sed non fore validum neque occultum, quia in utero repressum aut iter iuxta editum sit.* Aliud recentius exemplum in Friderici S. Krauss libro *Volksglaube und religiöser Brauch der Südslaven*[4]) inscripto depictum habemus p. 165 his verbis: *In der Früh schaut man nach, auf welcher Seite der (nachts gekochte) Brei aufgequollen ist und in selber Richtung baut man im selben Jahr die Felder mit Früchten, weil man glaubt, daß sie dort am besten gedeihen werden. In der Bocca di Cattaro lassen die Leute bloß am Abend den Brei ein wenig aufquellen und sich über Nacht setzen. Sieht man am Morgen auf dem Brei Erhebungen und Hügel, so sagt man das prophezeie ein gutes und gesegnetes Jahr und Reichtum. Zeigen sich aber Risse und Sprünge, so glaubt man, dies deute Todesfälle und Gräber an.* Similia praebet ea divinatio, quae ex inspectione scapularum trahit originem. Liceat ea verba apponere, quibus idem Kraussius eam describit, l. s. p. 167: *Das Schüsselchen*

---

1) Cf. supra p. 49.
2) Vespas. 5.
3) Ann. XV 47.
4) Münster 1890.

vom Schulterblatt heißt Haus[1]) *(in Bosnien); ist das Schüsselchen voll, so wird auch das Haus voll und das Jahr fruchtbar sein, ist das Schüsselchen dagegen tief und hohl, so gibt es ein mageres Jahr und das Haus bleibt leer; zeigt das Schüsselchen Vertiefungen wie von Messer- oder Nadelstichen, so deutet dies auf ein Grab . . . ein kleiner Riß oder Sprung bedeutet einen jungen, ein großer einen erwachsenen Menschen*, et p. 169: *den oberen Teil des Knochens, der von der einen Seite aus dem Schulterblatt hervorragt, heißt man (in Serbien) šjelme = der Trambaum und je mehr er gabelmäßig ausschaut, so daß man auf ihn etwas anlehnen könnte, desto fester gefügt, sagt man, sei der Trambalken des Hauses.* Permulta exstant alia exempla rationis similia ex similibus coniectándi. Nemo autem nisi qui hoc perspexerit, satis intelleget, quomodo factum sit, ut tantae exstiterint similitudines inter Graecorum et Etruscorum extispicium, licet alterum ex altero derivari non possit. Ab illa communi vulgarique sympathia profecti in singulis rebus interpretandis sese accommodabant extorum interpretes sui quisque populi condicionibus. Iam non miramur, quod ea, quae ad vitam, mortem, res omnibus populis communes spectabant signa simillima exstiterunt, alia autem valde inter se discrepabant, id quod Cicero nobis testatur.[2]) Apud Romanos, ut hoc exempli gratia addamus, ad militare imperium eiusque fata prae reliquis omina spectant.[3]) Dum talia igitur respicit, cognoscere et interpretari potuit exta populus anatomicae artis vel imperitissimus. Neque iniuria censebimus priscis temporibus unumquemque popularium hoc modo potuisse exta ipsi sibi interpretari[4]); recentiorem autem interpretandi rationem artificiosam, quam supra p. 46 adumbravimus haud prius exstitisse, quam certa collegia hoc susceperint munus. Póstea enim non per sympathiam tantum explanabantur exta, sed multo subtilius et artificiosius observabantur vel eo consilio, ut collegiorum

[1]) Cf. quae h. l. occurrunt signa *Weg* alia, quae certis nominibus graecorum haud dissimilibus sunt praedita, vide *κέλευθος* supra p. 10.

[2]) De div. II 28; supra p. 32.

[3]) Liv. XXX 5, XLII 30, XLVI 1; Festus p. 157 M.

[4]) Cf. K. Fr. Hermann *Lehrb. der gott. Altert. der Gr.* § 39.

participes haberent sua arcana nemini nisi initiatis nota. Quanti hoc fuerit momenti in re tantopere ab omnibus desiderata, in propatulo est. Sed non modo subtilior nobis occurrit extorum inspectio, accedit praeterea alia quaedam ac de qua supra p. 48 seq. diximus, ratio. Nam homines, ubi primum persuasum habuerunt per effigiem, quin etiam per litteras in extis exprimi futura, — id quod Graeci[1]) pro vero habebant —, aut cum deessent in extis iecur cor alia membra ad vitam necessaria, aperiri fata — id quod Romani sibi fingebant —, destiterunt a simplici inspiciendi ratione, quae exta considerabat tantum, ut secundum naturam sunt formata. Iam coeperunt observare ea, quae contra naturam aut acciderunt aut accidisse ipsis videbantur. Hanc revera viguisse opinionem luce clarius nobis demonstratur eo, quod haruspices litteris ipsi exta inscribere audebant.[2]) Nam nisi fieri posse contra naturam homines credidissent, ut litteras quasdam exhiberet iecur, sane hoc facere ausi non essent vel frustra fecissent.[3]) Hac autem opinione fiebat, ut extorum signa prodigiorum loco haberentur, quoniam sub voce *prodigium* omnia complectuntur, quae contra naturam fiunt.[4]) Quod a Romanis praecipue probatur scriptoribus, qui non modo coniuncta enumerant prodigia et extorum signa, sed etiam haec ipsa prodigia vocant.[5]) Quin etiam saepius curiose quaeritur, utrum plus valeant signa vel prodigia extorum an fulminum sortiumque.[6]) Similiter Lactantius Placidus exscripit e libro quodam in quo *de turis signis* agebatur: *haec primum signa aut testantur extorum promissis, si bona sint, aut, si contraria, refragantur.*[7]) Nec nullius hoc loco mihi videtur esse momenti, quod Iamidae apud Eleos aliique

---

[1]) Polyaen. Strat. IV 20; Front. Strat. I 11, 14.

[2]) Hippol. ref. haer. IV 40.

[3]) Ceterum extispices propter fraudem obiurgantur, cf. Xen. Anab. VI 4, 14; Cyrop. I 6, 2 al.

[4]) Cf. L. Wuelker, *Die geschichtliche Entwicklung des Prodigienwesens bei den Roemern*, diss. Lips. 1903 p. 1.

[5]) Iul. Obsequ. c. 95 et 107; Sen. Oed. 357 seqq.; Luc. Phars. I 609 seqq.; Liv. XXX 2; Suet. Div. Iul. 77; Festus p. 245 M.

[6]) Liv. VIII 6; Sen. Nat. Quaest. II 34; Plin. Epist. II 20, 4.

[7]) ad Stat. Theb. IV 468.

haruspices iidem et exta et alia prodigia interpretati sunt.[1]) Omnino igitur posteriore aevo insertum videmus extispicium in magnam seriem reliquorum divinationis generum. Sane ignoramus, quibus temporibus primum veteres sub hac nova ratione artificiosiore conspexerint extorum signa. Apud Graecos iam Euripides commemorat subtiliorem *portarum* inspectionem.[2]) Romanorum autem testimonia ipsius commutationis praebent argumentum. In antiquioribus enim exemplis a Livio servatis caput solum iecoris absens commemoratur, ubi re vera fortasse exiguum aut occultum erat, quod sine dubio facillime fieri potuit. In recentioribus[3]) interdum totum cor ad vivendum necessarium abest, quod non credidissent homines illius aevi, nisi pro prodigiis extorum signa habuissent. Hoc autem revera creditum esse comprobatur testimoniis de Caesaris sacrificio servatis, quae uno ore tradunt hostiae cor in extis defuisse, quod pro vero ut acciperet Cicero nullo modo a se impetrare poterat.[4]) Valuit ergo haec opinio Ciceroniano aevo. Sed iam antea ad excolendam extispicii superstitionem magnam habebat vim vulgaris prodigiorum interpretatio. Nam haud facile quispiam non concedet a prodigiorum vel ominum interpretatione sinistram et dextram partem iecoris traxisse certam suam vim et significationem aut felicem aut infelicem, quae in extispicum quoque disciplina saepius occurrit. Ad quam divisionem faciunt Romanorum pars iecoris hostilis et familiaris, accedunt ex orientalium qui vocantur populorum disciplina, quae Alfredus Boissier et Franciscus Leonormant protulerunt exempla[5]); de quibus infra fusius dicemus. Deeckii igitur verba[6]): *die Haruspicin beruht auf demselben Fundament und Schema, wie Augurium und Fulguritio* sic ut exstant comprobare non possumus. Licet hoc ita se habuerit posteriore aevo; sed si a principio proficiscimur, dicemus translatum esse

---

[1]) Xen. Anab. VI 5, 2; Paus. VI 2; Verg. Aen. X 176 seqq.; Plin. Epist. II 20, 4. [2]) El. 826 seqq.; supra p. 5.

[3]) v. Suet. Div. Iul. 77 al.; supra p. 15. [4]) de div. I 119.

[5]) A. Boissier, *Note sur un nouveau document Babylonien se rapportant à l'extispicine, Genève* 1901 p. 9 seq. et *Revue Sémitique* 1902 p. 277; Fr. Lenormant l. supra p. 30 l. p. 56 seqq.; de his adeas Caroli Bezold *Supplementum* infra p. 76 seqq. additum. [6]) l. l. p. 81.

ad extispicium prodigiorum usum observandi, ubi primum extorum signa in prodigiorum numero haberi coepta sunt. Quod nobis uno quidem sed gravissimo testimonio demonstratur: iecore illo aeneo, quod ut Deeckii ipsius verbis[1]) utar exhibet *das Schema des Templums, aber nicht in seiner ursprünglichen Reinheit, sondern auf die Leber übertragen, was nicht ohne gewisse Variationen und Abweichungen denkbar ist.*

Quaerentibus porro, cur in iecore ante omnia *τρίπους μαντικῆς*[2]) fuerit, primam cum Deeckio[3]) statuimus causam, quod vitae sedes habebatur iecur ab antiquis. Iam apud Homerum heroes iecore non corde icto animam exspirant. In eiusdem carminibus eodem sensu *ἧπαρ* usurpatur atque nos dicere solemus *Herz, Leben.*[4]) Idem verbum simili ratione adhibitum occurrit apud tragicos poetas. Mater *ὑφ' ἥπατος φέρει τέκνον.*[5]) Acerrimo dolore non cor sed iecur afficitur.[6]) Plutarchi quoque huc referri possunt verba haec: *τῶν πρεσβυτῶν ἡ περὶ τὸ ἧπαρ ἀρχὴ τοῦ ἐπιθυμητικοῦ κατασβέννυται καὶ γίγνεται μικρὰ καὶ ἀσθενής.*[7]) Et Aretaeus medicus haec exposuit: *ἔστι γὰρ αἵματος πάγος τὸ πλεῖστον ἧπαρ.*[8]) Eodem modo res se habet apud Romanos.[9]) Atque etiam quarto p. Chr. n. saeculo exeunte in defixionibus quae dicuntur *iecur* hostis, ut erat vitae sedes, ante omnia devotum videmus.[10]) Fortasse ad hoc non nihil contulit, quod ventre hostiae aperto iecur maximum apparebat viscus et colore suo proprio quasi aenigma proponebat inspicientibus. Utut hoc se habet, certum est priore quoque aevo iecur semper primo loco et apud

---

1) l. l. ibidem. 2) Philostr. vit. Apoll. VIII 7, 15. 3) l. l. p. 80.

4) Il. XI 579, XIII 411, XVII 349 alia. In nostra lingua haud alio modo iecur pro corde usurpatam fuisse demonstrari videtur nostro dicto *frei von der Leber sprechen*, in Grimmii Glossario VII p. 461.

5) Eur. Suppl. 918 seqq.

6) Aesch. Ag. 432; Soph. Ai. 939; Eur. Suppl. 598; Rhes. 425. Cf. Theocr. XIII 71.

7) de virt. mor. XI p. 450 F. 8) p. 48 Kühn.

9) Cic. de nat. deor. I 99; Hor. Carm. I 13, 4, Sat. I 9, 66, Epist. I 18, 72; Iuv. Sat. I 45, VI 649.

10) *Sethianische Verfluchungstafeln* ed. R. Wuensch tab. XVII 42; de huius tituli tempore v. ib. p. 62.

Graecos et apud Romanos, inspectum esse. Nam cetera viscera postea in inspectorum numerum extorum vocata esse de Graecis concludatur ex interpretandi ordine [1]), cum de Romanis praeter Ciceronem [2]) expressis verbis hoc Plinius maior tradiderit.[3]) Accedit quod iecur sanguinem quoque in se recipit ita, ut facillime sibi fingant homines anatomicae artis imperiti, in illo maximo viscere sanguinem praeparari h. e. inde vitam proficisci. Ubi autem iecur sedes habebatur vitae, ibi in sacrificiis summam accepit vim. Nam, ut hac re perspecta praestantissima erat victimae pars, sine dubio iam remotissimis temporibus et a rudissimo quoque populo deis concedebatur, unde fluxit Romanorum illud *exta reddere* sc. deis sua reddere. Iam non est mirabile, quod primum iecori, deinde extis in universum vis quaedam attribuebatur divina, quoniam deorum erant. Ac revera videmus vitae illas sedes, quoniam deis sunt sacratae, sive exta sive aliud quid est, apud magos omnium nationum plurimum valuisse et adhuc valere.[4]) Nunc iam perspicitur hoc quoque, cur ad exta ipsa adhaeserit successus, quem promiserunt extispices [5]) ita, ut haruspex Sullae quondam mandaret, ut laetissima exta comederet.[6])

Sed haec una, quam adhuc protulimus, causa non sufficit ad solvendam quaestionem nobis propositam. Nec tamen recte res explicatur his Deeckii verbis[7]): *Fernér wußte man bereits im Altertum, daß die Leber Blut und Galle bereitet, von denen man die Temperamente herleitete, und suchte daher in ihr den Ursprung und Sitz der Gefühle, Begierden, Leidenschaften, ja des ganzen Charakters und damit einen Hauptbestimmungsgrund des so oft von diesem abhängenden Schicksals.* Nam etiamsi hoc Graecis, quin etiam Etruscis concederemus, tamen hoc modo plane non intellegitur, quomodo exstiterit eadem ars apud populos illos certe nulla disciplina anatomica vel

---

[1]) Schol. Aristoph. Vesp. 831 (827).

[2]) de div. II 29. [3]) N. H. XI 186.

[4]) Plin. N. H. XXX 19; Wuttke-Meyer, *Deutscher Volksaberglaube* §§ 170, 468, 605; Wlislocki, *Volksglaube u. relig. Brauch der Zigeuner* p. 53, p. 77 al. [5]) Liv. V 21; Suet. Div. Aug. 96.

[6]) Aug. de civ. dei II 24. Cf. A. Dieterich, *Eine Mithrasliturgie* p. 100 seqq. [7]) l. l. p. 80.

psychologica assuefactos, cuius rei haud pauca afferemus exempla.[1]) Nostra sententia extispicium non ad scientiam quandam reconditiorem, sed ad opinionem primitivam et omnibus populis communem est revocandum. Quod facile fieri potest hoc fere modo. Sacrificia faciunt mortales, ut deos sibi reddant benevolos illosque ad se advocent, qua in re sacrificium adiuvatur precatione facta; precibus enim tamquam vinculo magico trahuntur numina. Huius rei memoria elucet, si quid videmus, ex Hesychii glossa *θεός*.[2]) Scripsit enim: *θεός· σημεῖον ἐν θυτικῇ*. Quo signo cum ceteris, quae p. 10seq. repetivimus, comparato apparet hac sub voce peculiarem aliquam latere rationem. Nam, ut supra exposuimus,[3]) cetera signa ob similitudinem quandam acceperunt nomina et vim, quod huc omnino non quadrat.[4]) Absolvitur autem ea quaestio, nisi nos fallunt omnia, eis verbis, quae Lactantius Placidus[5]) adiecit ad Statii Theb. V 176. Nam cum Statius dixisset: *in nullis spirat deus integer extis*, exposuit Placidus: *est quoddam in extis signum, quod d e u s appellatur. quod si integrum apparuerit, propitium numen ostendit, sin vero dimidium, iratum significat numen aut certe non praesens.* Lactantium hac in re moneamus necesse est sine dubio Graeco usum esse exemplo. Nam ad Romanorum rationem plane id non quadrat, quod certo nomine vocatur signum quoddam in extis obvium. Immo is est Graecorum mos et usus.[6]) Accedit, quod enuntiata ita, ut nunc quidem leguntur, contra se ipsa pugnant. Quid sibi volunt verba *aut certe non praesens* hoc in contextu? Nam antiquorum rationem secutis nobis non licet dicere, si *dei* signum etsi dimidium adest, deum ipsum non adesse; id enim pugnaret vehementissime contra omnem veterum statuendi connexum rationem. Ergo non recte intellexit rem scholiasta. Omnia autem perbene quadrant, si missum facimus illud Graecorum *signum* et referimus vocem *integer* ad exta ipsa hoc modo: *quae* (sc. exta), *si integra apparuerint*, eqs. Nunc rectissime

---

[1]) V. infra p. 71 seqq. [2]) supra p. 11. [3]) p. 32.

[4]) Fortasse voce *θεός* haruspices Graeci idem exprimebant, quod Romani verbo *laeta exta* h. e. in universum deum adesse adiutorem, ubicumque de singulis rebus nihil dicere potuerunt.

[5]) V. supra p. 22. [6]) Cf. supra p. 2 seqq.

se habet illud *certe non praesens.* Nam in exta laesa non venit deus. Scholiasta autem posterioris aevi Graecum et Romanum morem eo facilius inter se commiscuit, quia e vulgari opinione et apud Graecos et apud Romanos deus ipse in extis efficiebat signa.[1]) Quomodo hoc fecerit, si perspexerimus, habemus, unde derivemus extispicii originem. Quaestio simpliciter sic dirimatur: deus magico precationis vinculo tractus in sua, ut ita dicamus, hostiae parte h. e. in extis collocat sedem,[2]) quod Lucanus his comprobat verbis: *caesique in viscera tauri inferni venere dei.*[3]) Quam opinionem fuisse rudibus populis acceptissimam elucet e permultis exemplis. Notissimus est usus vocum Graecarum ἔνθεος ἐνθουσιασμός.[4]) Deinde constat veteres credidisse deum in hominis visceribus commorantem illius humano ore uti, ut voluntatem praediceret, quod nos docet Pythiae exemplum. Sed aliter atque in homine se habet deus in muto animali versans. Quoniam vox deficit, hominibus deorum sedes, h. e. viscera, perquirenda sunt, si divinam voluntatem perspicere cupiebant. Id nobis illustratur verbis Plinianis, si modo nobis in memoriam revocaverimus omnem morbum apud antiquos sub specie daemonis inimici intellectum esse. Scripsit enim Plinius: *Sunt occulti interaneorum morbi, de quibus mirum proditur. Si catuli prius quam videant adplicentur triduo stomacho maxime ac pectori et ex ore aegri suctum lactis accipiant, transire vim (sc. daemonem) morbi, postremo exanimari dissectisque palam fieri causas morbi.*[5]) Sed non venit deus precatione vocatus nisi in integra exta, quoniam vitae sedes mutila divinam vitam non capit. In exta laesa aut omnino nullus deus venit, aut, siquis apparet, non id numen est, quod precibus vocaverant, sed

---

[1]) Herod. IX 62; Plut. Arist. 18; Xen. Hell. III 3, 4; Plut. Arat. 43; Tib. II 5, 13; Luc. Phars. I 634; Sil. Ital. Pun. I 138; Iambl. de myst. Aegypt. III 1, III 15, III 16; Min. Fel. Oct. 27; Arnob. adv. gent. IV 11; Lact. de mortibus persec. 10; Euseb. demonstr. ev. p. 209 D. Ab aliis defensa est sententia animam fugientem dare responsa, nata fortasse ex eo quod adhuc calida et trementia inspiciebantur exta.

[2]) Arnob. l. l. [3]) Phars. I 633.

[4]) Cf. Dieterich, *Eine Mithrasliturgie* p. 106 seqq. Nostrum *Gott im Herzen.* [5]) N. H. XXX 64.

deus quidam illi inimicus,[1]) quo praesente non adest deus aliquis adiutor. Remotissimis igitur temporibus populi nulla doctrina imbuti facillime id concludebant, quod in posterioris aevi usu dicendi sic exprimebatur: integra vel aucta exta significant bona, laesa vel detorta praemonent mala. Unde per sympathiam illam a veteribus statutam, quam supra adumbravimus, et per unum quasi gradum ascenderunt ad extorum interpretationem artificiosam. Postquam autem haec certa exstitit ratio, ad singulas res interpretandas longius semper in pangendis artis legibus progressi sunt extispices. Qua in re permultum eos iuvabat rerum condicionumque interrogantis accurata notitia.[2]) Ac delectamur legentes, quam incerta fuerint eorum responsa, ubicumque notitia illa defuit.[3]) Sed etiam recentiore tempore semper vigebat opinio deos ipsos loquentia reddere exta. Qua de causa eo facilius extorum signa postea, ut supra p. 56 exposuimus, in ampliorem reliquorum prodigiorum a deis missorum seriem inserebantur et habebantur pro oraculis. Quo cum recipi extispicia coepta essent, fieri non potuit, quin oraculorum legibus magis magisque se accommodaret extorum ratio observandi, praesertim cum iidem haruspices et reliqua prodigia et exta inspicerent.[4]) Atque ex eo, quod hoc revera ita accidit, fluxit, si recte iudicamus, dissensio quaedam inter Graecorum et Etruscorum usum iam supra p. 32 commemorata. Ut in oraculis Graecis dei ipsi verbis futura praenuntiabant, sic etiam in extis per effigiem expressam ostendebant suam voluntatem.[5]) Quin etiam

---

[1]) Cf. Lucani verba s. l.

[2]) Festus p. 157 et 289 M s. v. *adiutor* et *regalia exta*; Tac. hist. I 27, II 78.

[3]) Sall. bell. Iug. LXIII 1; Aug. de civ. dei II 24; Tac. hist. II 78.

[4]) Vide supra p. 57, adnot. 1.

[5]) Quae signa Deeckius l. l. p. 71 seqq. Etruscis quoque vindicata in singulas iecoris partes distribuere conatus est. Confitemur hoc adhuc satis dubium visum esse. Nam plane nescimus, quantum in iecore illo aeneo et Graecus et Etruscus ritus pro sua quisque parte tribuerit. Nec minus incertam esse censemus singularum rerum interpretationem a Deeckio per mythologias factam. — De felle Deeckium haud recte iudicasse iam supra diximus p. 29 adnot. 2. Similiter nos quidem iudicare cogimur de *capite cum omento*, quod remotis temporibus nulla alia de causa, ubi insigniter

per litteras ipsas dei extis inscribere futura putabantur, ut supra p. 56 monuimus. Ex his igitur apparet, rationem scriptorum vel dictorum oraculorum relatam esse ad exta a Graecis. Contra apud Romanos, quorum dei per prodigia accurate interpretanda futura ostendere solebant, exta sicuti in reliquis ominibus novas formas contra naturam accipiunt, quare augurum, qui prodigia et caeli signa observabant, ratio observandi et interpretandi ad exta transfertur. Inde Romanorum fluxit iecoris divisio imprimis in partem hostilem et familiarem facta; de qua relatione supra diximus ubi de augurum templo ad iecur delato disseruimus.[1]) Eodem vel simili modo etiam apud Chaldaeos secundum astrologorum caeli divisionem iecur in singulas casas distributum esse nobis veri est simillimum.[2])

Sed redeamus ad Romanos. Qua ratione ii haec extorum prodigia interpretati sint, perbene nobis explanatur Petillii consulis exemplo, qui Saluti deae litare non potuit.[3]) Quam ob rem ad salutem eius spectabat, quod accepit, omen: nam Salus dea ei non erat adiutrix. Quoniam igitur singulis deis certae rerum humanarum tamquam provinciae magistratibus erant attributae, dei ipso nomine, cui sacrificabatur, signorum dabatur significatio. Ergo opus non erat quasi per effigiem, ut Graeci solebant, futura in extis cognoscere. Immo satis erat observasse cuius dei ad potestatem tenderet signum. Quod si antea definiebatur nomine in precatione dicto, postea templo ad iecur translato cognoscebatur ex regione vel provincia cuiusque dei in iecore circumscripta. Haruspices enim in iecore unicuique deo certum *dicaverant* locum.[4]) Qua re multo artificiosius et difficilius explicatu extispicium factum est. Nam omnium deorum provinciae in eodem erant con-

---

auctum apparuit, nisi per sympathiam illam vulgarem praemonuit laeta. Exinde per similitudinem, ut apud Graecos fieri solebat, relatum est ad coronam triumphalem. Cf. quae hac de re protulit Deeckius l. l. p. 84, contra quem pugnat Ludovicus Stieda, *Über die ältesten Darstellungen der Leber* p. 720 seq. (Merkel-Bonnet, *Anat. Hefte* I vol. XV).

[1]) p. 23, 27, 58.

[2]) Cf. A. Boissier, *Note sur un monument Babylonien, Genève* 1899 et Caroli Bezold, *Supplementum* infra p. 76 seqq.

[3]) Liv. XLI 15. [4]) Plin. N. H. XI 75.

spectu, cum antea tantum ad deum unum referri posset signum nempe ad eum quem in precatione nominaverant.

Sed veteres ipsi posteriore praecipue aevo duas quas descripsimus rationes plane inter se commiscuerunt nec, quae fuerit extispicii origo, perspiciebant; ignorabant enim deum in hostiae exta magice advocatum efficere signa. Quo factum est, ut frustra inquirerent, qui esset inter hostiae exta et hominis fatum connexus. Ac Stoici eorumque princeps Posidonius hanc difficultatem profligare conati sunt transferentes vulgarem illam sympathiam, de qua supra diximus, ad universum mundum.[1]) Cicero autem de hac re quam maxime dubitavit his verbis[2]): *qua ex cognatione naturae et quasi concentu atque consensu, quam συμπάθειαν Graeci appellant, convenire potest aut fissum iecoris cum lucello meo, aut meus quaesticulus cum caelo terra rerumque natura?* Quibus verbis se refert ad solam interpretationem extorum iam artificiose excultam suo aevo usitatam. Non vidit inferiorem, quem supra p. 46 et 48 diximus, extispicii gradum, ubi laeta exta nihil significabant nisi augeri quodam modo interrogantium condiciones: quo in augurio singulae res nondum disiunctae erant et circumscriptae, necdum exstiterat extorum cum lucello reliquis rebus humanis connexus. Postquam autem ad omnia momenta translata est sympathia illa, tum dicitur cor in extis deficiens spectare ad mortem propterea, quod *vita a corde proficiscatur.*[3]) Item posteriore aevo sententiam *temperamentis* quoque quae vocantur ad rem explanandam delatam esse nemo facile negabit.[4]) Sed non de hac doctrina, quatenus est philosophica, cogitare licet.[5]) Nam ea ab Eleaticis, qui vocantur, philosophis exculta est; quatenus ergo ex his pendet, doctissimorum hominum nobis praebet sententiam, non plebis vulgarem opinionem ad quam illud plebis extispicium solum revocare licet. Xenophanem autem Eleatarum principem consulto pugnare contra plebis religionem notissimum est. Atque expressis verbis traditur eum divinationem funditus sustulisse.[6])

---

[1]) Cf. supra p. 39. [2]) De div. II 34.
[3]) Cic. de div. I 118; Val. Max. I 6. [4]) Vide supra p. 37.
[5]) Quod putaverat Deeckius l. l.
[6]) Cic. de div. I 5; Ps. Plut. de plac. phil. V 1.

Qua de causa ad eius doctrinam de *temperamentis* prolatam revocare non licet extispicii originem. Immo censendum est illam doctrinam, quantum spectat ad homines eorumque fata ex *temperamentis* pendentia profectam esse quodammodo ab extispicio vulgi. Nam sane Xenophanes ille Colophonius eiusque aequales etsi in animo habebant superstitionem spernere popularem, non plane vulgatae religionis auctoritatem effugiebant, quae hominis fatum in extis cognoscere assueverat. Quin etiam Democritus de hac re serio disseruit atque, ut supra p. 37 demonstrasse nobis videmur, ne Plato quidem ab extispicii auctoritate omnino se removebat. Itaque Eleatarum quoque sententia si e *temperamentis* hominum fata explicabant, in ipsis extis quodammodo quae futura essent collocabant. Sed aliter medicorum scientia melius instructi rem explicant; nam nullam aliam ob causam in iecore collocabant *τὸ ἐπιθυμητικὸν* quam quià putabant *τὴν χολὴν* quam maxime valere ad indolem hominis eiusque fatum conformanda.

Quoniam adhuc de extispicum disciplinae vi ac significatione diximus, haud alienum videtur ritum ipsum breviter describere, qualem e Romanis quidem testimoniis cognoverimus.[1]) Cum in *sacrificiis consultatoriis*[2]) usurparetur extispicium, sacrificandi ritus antea peractos esse per se patet. Ac Macrobius[3]) expresse testatur: *in eadem verba hostias fieri oportet auctoritatemque videri extorum, ut ea promittant futura.* Primo igitur loco precatione facta[4]) — *quippe hostias caedi sine precatione non videtur referre aut deos rite consuli*[5]) — deo tus et vinum libatur. Deinde hostia mola salsa et vino aspersa deo sacratur mactaturque[6]), id quod Servius[7]) sine dubio haud recte sic explicat: *erant autem istae* (sc. *aspersiones*) *probationes, utrum aptum esset animal sacrificio.*

---

1) Graecorum extispicum ritus simillimos fuisse Romanis elucet e Graecae et Romanae religionis cognatione. At in arte interpretandi ut supra p. 62 demonstravimus, quam maxime inter se discrepabant.

2) Serv. ad Aen. IV 56; Macrob. Sat. III 5, 1.

3) Sat. III 9, 9. 4) Arnob. adv. gent. IV 11.

5) Plin. N. H. XXVIII 10.

6) Paulus Festi s. v. *mola* p. 140 M.

7) Ad Verg. Aen. VI 244; XII 173.

Obliquum etiam cultrum a fronte usque ad caudam ante immolationem ducere consueverant, quod a Servio item probationis loco habetur.[1]) Romanos ipsos hunc ritum non recte perspexisse posteriore aevo docet Ovidii fastorum lib. I 319 seqq., qui, ubi de *Agonali luce* eiusque nomine disputat, commemorat praevisos in aqua timeri ab hostia cultros. Per se patet hoc ad gestum illum recte perspiciendum nihil valere, ut poeta ipse in dubium rem vocat. Servium secutus G. Wissowa[2]) hoc modo rem exposuit: *Der Opfernde deutet die Tötung symbolisch an durch einen bestimmten Gestus mit dem Messer.* Nostra sententia hic ritus fortasse aliam habet vim, quae optime nobis illustratur usu quodam a Geoponicorum auctore descripto. Sunt eius verba haec[3]): *εἰ δὲ θέλῃς κύνα μὴ φεύγειν χρίσον ἄρτον βουτύρῳ καὶ δὸς αὐτῷ λείχειν, ἢ καλάμῳ ὑγρῷ μέτρησον αὐτὸν ἀπὸ κεφαλῆς ἕως τῆς οὐρᾶς.* Canis igitur ne aufugiat viridi harundine a capite usque ad caudam metatur. Luce clarius est hanc esse defixionis ritum, quem nos vocemus *Bannzauber.* Neque quispiam non concedet haec cum verbis illis Servianis artissimo vinculo esse connexa. Nam eadem in utroque animali est actio circumscribendi, qua ipsum animal ad certum locum vel, ut rectius dicamus, in cuiusdam potestatem defigitur. Quod sacrificantes in hoc utebantur cultro non harundine, nil contra valet, quoniam culter *mola salsa aspersus*[4]) deo erat sacratus.[5]) Atque cultro illo obliquo etiam molas inducere solebant.[6]) Qui hoc plane perspexerit, nunc recte cognoscet, cur hostia ab ara aufugiens sacrificantibus tam malum praebuerit omen, id quod testimonia uno quasi ore nos docent[7]): devotionis enim vim irritam reddidit. Quo ritu peracto hostia mactatur[8]) ac *supinae* eripiuntur exta, quae calida inspiciuntur, ex forma sola apud Romanus quidem[9]),

[1]) Ad Aen. XII 173. [2]) L. l. p. 352.
[3]) Geopon. cur. Beckh XIX 2, 16. [4]) Serv. ad Verg. Aen. II 133.
[5]) Serv. ad Verg. Aen. IV 262. [6]) Luc. Phars. I 610.
[7]) Liv. XXI 63; Luc. Phars. VII 165; Suet. Tib. 10; Festus s. v. *piacularia auspicia* p. 245 M.
[8]) Serv. ad Verg. Geo. III 492; cf. Eur. El. 813 seqq.
[9]) V. supra p. 48 seq. et quae supra exposuimus de situs et coloris extorum inspectione p. 52 seqq.; Deeckius, qui l. l. p. 69 etiam sanguinis effluentis et p. 70 tabis iecoris notationem in extispicium intulit, neglexit

cum Graeci iam antiquis temporibus colorem quoque observasse videantur.[1])

Inspectione extorum facta accuratissime praeparantur et aulicocta redduntur exta.[2]) Sin autem prima in hostia contraria apparuerant exta, et Graeci et Romani, ut e testimoniis elucere videtur, alteram, et si ea quoque denegabat, tertiam immolare assueverant hostias. Ter igitur apud utrumque de eadem re exta interrogabantur. Si ter abnuebant, Graeci rem mittebant, Romani maioribus hostiis bonum omen quasi vi cogere conabantur.[3])

Extispicii ritus de quo iam satis diximus, haud paucis simulacris adhuc servatis ante oculos nobis ponitur.[4]) Quae si perlustraverimus, in tres ordines videntur esse disponendae. Ac primo loco in conspectum nobis datur extorum ipsa ereptio, fortasse non aliam ob causam, sed quia hoc ipsum momentum artificibus ante omnia aptum quod exprimeretur visum est. Temporum opportunitate duae huius generis imagines perduraverunt annos. Quarum altera in calice Capuensi rubri coloris hodie Parisiis servato artificiose depicta praebet arietem supinum in mensa positum. Vir barbatus, qui superne usque ad cingulum nudum habet corpus, ex arietis ventre aperto eripit exta. Cuius minister adulescentulus, qui eodem modo vestitus est, arietis pedes posteriores ad se trahit. Caput adulescentis taenia ornatum videmus, cum barbatus ille caput coronaverit laurea. Etiamsi haud nimis clare ab artifice expressum est, utrum revera ad extispicium referenda sit illa extorum ereptio necne, tamen non facile quisquam nobis quidem persuadebit

---

in rebus tam gravibus, ut erant sacrificia, varia omina et prodigia observata esse praeter exta. Quorum in numerum, ni omnia nos fallunt, habenda sunt, quae modo diximus. Nam tabes iecoris in extis cognoscitur haud prius quam cocta sint. Neque igitur iure referatur ad ipsum extispicium. Sanguinis autem effluvium praeter in Senecae et Lucani testimoniis artificiosis (v. supra p. 17 seq.) uno tantum loco ibique inter omina enumeratur (Plin. Paneg. Trai. 5). Ergo disiungendum est inter hanc rationem observandi et Graecorum σφάγια in quibus e sanguine effluenti cognoscere futura moris erat: vide supra p. 5 adnot. 1.

[1]) Aesch. Prom. 493. [2]) Cf. Wissowa l. l. p. 353.

[3]) Xen. Anab. VI 4, 14, VI 4, 19; Hellen. III 3, 4; Liv. XLI 15. Vide supra p. 53. [4]) V. tabulas in fine huius dissertationis additas.

in lanii cuiuslibet eiusque laureati mensa depingenda illum tantam adhibuisse curam.[1])

Altera effigies Parisiis hodie servata marmore caelata est, quam valde laesam esse dolemus. Taurum humi supinum videmus. Tres viri et ipsi seminudi atque coronati adsunt, quorum unus e ventre tauri aperto eripit exta, cum socii adstent. Horum alter facile pro popa accipitur ex eo, quod malleum tenet, quo taurum prostravit. In sinistra effigiei parte tauri capiti adstat quidam, qui hoc loco nullius momenti esse non potest. E numero victimariorum eum non esse e vestimento cognoscitur; tunicatus enim toga se amicuit neque tamen longa Romanorum sed curta more Etruscorum [2]): unde elucet hunc intelligendum esse extispicem; quem hic in suo loco positum esse patet. Caput illius plane deletum est.[3]) Neque iniuria censeamus extispicem item coronatum fuisse atque victimarios. Prope popam duos videmus lictores, quorum alter certe cognoscitur e fascibus, quibus securim inseruit. Idem lictor simulacri partem sinistram connectit cum dextra, dum se vertit ad togatum aliquem sine dubio magistratum. Dolendum est, quod huius quoque caput plane deletum est. Vix in bracchio truncato cognoscitur sub toga eius fuisse tunicam manicatam. Huius post tergum vir alter eodem modo vestitus hodie sine capite exstat. Haec sunt quae cognoscuntur in effigie caelata haud paucis locis laesa ita, ut ab aliis aliter cogitando supplerentur.[4]) At diu nemo sciebat, quo referret hoc simulacrum, quoniam satis mirum est, quod magistratus, ut erat omnium praestantissimus, ab ipso extispicio se quasi avertit vel parum ad extispicem se advertit. Hoc non explicetur, nisi suspicamur

---

[1]) V. nostrae tabulae I fig. 1, quam primus publici iuris fecit J. de Witte, *Description des collections d'antiquités conservées à l'Hôtel Lambert pl.* 29; v. ibid. p. 95 no. 79.

[2]) Cf. Etruscum, qui vocatur *orator* Florentinum, apud Baumeisterum, *Denkmäler* s. v. *Etrusker* fig. 553.

[3]) V. *Mitteilungen des Kais. Deutsch. arch. Inst., Röm. Abt.* vol. VI 1891 p. 22 adnot. 61; ad quam dissertationem animum mihi per litteras benigne advertit vir doctissimus insignissimus A. Héron de Villefosse.

[4]) V. Winkelmann, *Mon. ined.* vol. III no. 183; Clarac, *Musée de sculpture* II *pl.* 195 no. 311; Daremberg-Saglio, s. v. *Divination* fig. 2474, unde imaginem qua titulus ornatur hausimus.

ad dextram illi animum vertendum fuisse h. e. opus marmoreum cum aliis olim cohaesisse. Hodie scimus[1]) illud connexum fuisse cum altera tabula marmorea, quae in conspectu ponit complures togatos e templo Iovis Capitolini modo egressos. Quorum in numero, si recte rem perspeximus, habendus est magistratus quoque ille, qui prope lictorem stat. Cum ceteris togatis e templo prodiens non iam plane se vertit ad extispicium, quod interea ab aedituis et fortasse a lictoribus praeparatum erat. Extispex eius adventum adhuc exspectaverat; iam vero a ministro e tauri ventre aperto accipiet iecur, cuius signa magistratui interpretabitur. Haec fere sunt, quae hodie dicantur de simulacro illo mutilo, quod, si recte se habet inscriptio insculpta, ad Traiani referatur aetatem.[2])

Secundae, quam supra diximus, classis simulacra extorum inspectionem ipsam ante oculos nobis ponunt. Iam pectori erepta videmus exta, quae hoc ipso momento accuratissime inspiciuntur et disquiruntur. Ac duae effigies inter se simillimae — nisi quod altera atri, altera rubri coloris est — in vasis pictis servatae sunt, quae vulgo ad Polynicem et Adrastum referuntur. At hoc unum certe dici potest: in utraque puer nudus militi armato exta porrigit, ut inspiciat pugnaeque exitum praesentiat, priusquam in bellum proficiscatur.[3])

Tertia huius generis effigies satis mira in speculo invenitur Etrusco.[4]) Calchas enim famosus ille Troici belli vates nomine ipso adscripto exta inspiciens cognoscitur. Sed, quod miramur, artifex permagnis illum instruxit alis, cum daemone fortasse eum confundens, qui saepius ab Etruscis alis ornantur.[5])

Quae simulacra modo enumerata omnia, si hoc breviter comprehendimus, ostenderunt ipsum ut ita dicamus, extispicii

[1]) *Mitt. des Instit.* vol. VI 1891 tab. III, ibid. p. 22; nostrae tabulae I fig. 2 inde deprompta est.

[2]) V. *Mitt. des Inst.* vol. VI 1891 p. 52 adnot. 59 a.

[3]) V. nostrae tabulae II fig. 1 et 2 quas antea depinxerunt Gerhard, *Auserlesene gr. Vasenbilder* tab. 267; *Gazette arch.* vol. VI 1880 *pl.* 34; Panofka, *Cabinet Pourtalès pl.* XII; v. *Annali dell' Instit.* XXXV 1863 p. 237 seqq.

[4]) V. nostrae tabulae II fig. 3 depromptam ex Gerhardi libro, *Etrusk. Spiegel* Tab. 223; v. *Annali dell' Inst.* XXXV 1863 p. 236.

[5]) Cf. Müller-Deecke, *Die Etrusker* vol. II p. 97 not. 50.

actum. Aliter se habent, quae praeterea exstant, tertiae classis effigies. Sunt enim, si quid videmus, monumenta tantum eorum, qui extispicii habebant munus, sive ipsorum sepulcralia, sive votiva ab illis deo cuidam posita. Huius generis est gemma Berolinensis[1]) haud nimis artificiosa, in qua extispicem videmus baculo nixum, qui sinistra manu tenet exta, cum dextra digito ea monstret. Huius vestimentum non nimia longitudine et amplitudine insigne sub dextro lacerto transmittitur ad humerum laevum, ita ut dextrum latus non tegatur. Adscriptum est Etruscorum *natis*, quod Romani vertebant *vates*. Praeterea in Museo Avennico servatur sub titulo Aesculapii statua aenea, quam Sal. Reinachius[2]) summo, ut nobis quidem videtur, iure habet extispicem aliquid extorum dextra tenentem.[3]) Aesculapius autem vocabatur statua illa, quia primo obtutu haud dissimilis esse videbatur Aesculapii imagini in eodem museo adservatae qui baculum tenet serpente suo redimitum.[4]) Etiamsi ignoramus, quid tenuerit manus statuae illius sinistra nunc deperdita, etsi praeterea in capite similitudo quaedam haud iniuria agnoscatur cum Aesculapio existens, tamen toto corporis habitu parum divino suspicio movetur, eum nequaquam Aesculapii imaginem esse. Sane id, quod dextra manus tenet, extis similius est, quam ut repudiari possit Reinachii coniectura.

Tertium, quod exstat huius generis simulacrum, est urnae operculum iam a Deeckio[5]), postea a Stieda[6]) descriptum. Est sine dubio monumentum sepulcrale. Extispex diadematus,

---

[1]) V. tabulae II fig. 4 petitam ex Furtwaengleri collectione *Die antiken Gemmen* tab. XIX no. 8.

[2]) *Revue arch.* XL 1902 p. 137.

[3]) V. nostrae tabulae III fig. 1 publici iuris nondum factam et expressam ex ectypo solis radiis depicto.

[4]) Musei illius administratori Labaude, qui de hac re per litteras comiter me certiorem fecit et ectypum publici iuris facere benigne mihi permisit, gratias habeo debitas.

[5]) Deecke, *Etr. Forschungen* V p. 65.

[6]) Merkel-Bonnet, *Anatom. Hefte* I vol. XV p. 681; v. nostrae tabulae III fig. 2 nondum publicatam, quam expressimus ex ectypo photographico. Musei Volterrani administratori Solaini, qui in lucem proferre ectypum mihi permisit, gratias debeo maximas.

qui caput velavit ritu notissimo Romanorum, iacet in pulvinis ornatis dextro bracchio nixus. In manu sinistra tenet iecur felle insuper imposito. Denique, ne desint feminae, haruspicae servatum habemus simulacrum e terra prope theatrum Mantineense erutum.[1]) Caelatum est artificiosum illud opus, votivum sine dubio. Haruspica tenet iecur laeva manu. Quam maxime dolemus, quod eius caput plane est deletum itemque bracchium dextrum. Ante hanc figuram imae partes palmae arboris conspiciuntur. Quae cum sacra fuerit Latonae, cum huius deae cultu coniungenda est illa extispica. Accedit, quod Latona in templo Mantineensi colebatur: qua de causa haud falso coniciamus illud opus caelatum habendum esse pro monumento votivo alicuius haruspicae quae Latonae cultui erat dedita. Haec de simulacris.

Postremo liceat addere exempla quae iam supra p. 33 adn. 1 promisimus ab aliis nationibus desumpta. Ac primo loco sequantur ea, quae iam antiquis scriptoribus erant nota. Hesychius enim s. v. *πύλαι* haec nobis servavit: *Ἀριστοφάνης Τελμισσεῦσιν* (frg. 540 Kock) *ἀπὸ τῶν θυτῶν λέγει. ἐκεῖνοι γὰρ ἐπισκέπτονται τὰς ἐκτροπὰς τοῦ ἥπατος καὶ τὰς φλέβας, διὸ καὶ τὰς ὁδοὺς πύλας λέγουσιν.* Telmessiorum artem Cicero quoque laudat.[2]) Prusias ille Bithynorum rex ipse coluit hanc artem atque extorum signis maiorem attribuit fidem quam Hannibali belli gerendi peritissimo.[3]) Armenios extispices fuisse Iuvenalis poeta testatur.[4]) Indorum haruspices Plinius commemorat.[5]) Item constat inter omnes Persas, Babylonios, Chaldaeos, Syros, Poenos usos esse extispicio.[6])

---

[1]) *Bullet. de Corr. Hell.* XII 1888 p. 376; Gustave Fougères, *Mantinée et l'Arcadie orientale* p. 542 tab. IV, unde deprompta est nostrae tabulae III fig. 3; *Καββαδίας Γλυπτὰ τοῦ ἐθνικοῦ μουσείου* 226.

[2]) De div. I 91. Cf. Philostr. vit. Apoll. III 7, 15, qui Lycium commemorat extispicem. [3]) Cic. de div. II 52; Val. Max. III 7, 6.

[4]) VI 548. [5]) N. H. XXXII 23.

[6]) Catull. XC 2; Ezechiel XXI 21; Deuteron. XVIII 11; Greg. Naz. *κατὰ Ἰουλ.* 3; Polyaen. Strat. IV 20; Iuv. VI 548; Cic. de div. II 29. Hodie de Babyloniis optima habemus testimonia iecora fictilia ab extispicibus usurpata: cf. p. 57 adnot. 5; A. Boissier, *Note sur un monument Babylonien, Genève* 1899 et Caroli Bezold Supplementum infra additum.

Diodorus nobis tradit [1]) Aegyptiorum regem exta inspexisse. In Cypro insula *certissima fides habebatur haedorum fibris.* [2]) Sed non in orientis solum regionibus exercebatur hoc divinandi genus. In Europa praeter Graecos [3]) Romanosque aliae nationes extorum utebantur prodigiis. De Lusitanorum extispicio Strabo geographus rettulit his verbis [4]): *θυτικοὶ δὲ εἰσὶν Λυσιτανοί, τά τε σπλάγχνα ἐπιβλέπουσιν οὐκ ἐκτέμνοντες, προσεπιβλέπουσι δὲ καὶ τὰς ἐν τῇ πλευρᾷ φλέβας καὶ ψηλαφῶντες δὲ τεκμαίρονται. σπλαγχνεύονται δὲ καὶ δι᾽ ἀνθρώπων αἰχμαλώτων καλύπτοντες σάγοις· εἶθ᾽ ὅταν πληγῇ τὰ σπλάγχνα ὑπὸ τοῦ ἱεροσκόπου μαντεύονται πρῶτον ἐκ τοῦ πτώματος.* Diodoro teste [5]) Gallorum druidae *διὰ τῆς τῶν ἱερείων θυσίας τὰ μέλλοντα προλέγουσι.* Quae iure ad extispicium referenda esse Taciti [6]) probant verba de Celtis Britannicis facta: *hominum fibris consulere deos fas habebant.* Denique Strabo nos docet [7]) Germanos quoque extispicium usurpasse. Tradit enim de Cimbrorum feminis vaticinantibus haec: *ἄλλαι δὲ διασχίσασαι ἐσπλάγχνευον ἀναφθεγγόμεναι νίκην τοῖς οἰκείοις.* [8])

Sed usque ad nostram aetatem adhibetur extorum inspectio. Germanorum exemplum protulit Wuttkius in libro, qui inscribitur *Deutscher Volksaberglaube.* Legimus § 272 editionis tertiae haec: *Wenn die Milz eines geschlachteten Schweins umgeklappt ist, so wird bald jemand im Hause sterben (Altmark).* In Fr. S. Kraussii libro illustrissimo *Volksglaube der Südslaven* hoc scriptum videmus [9]): *Bei den Altgläubigen (Serben) wird im allgemeinen das Schwein, welches als Festbraten dienen soll,*

---

1) I 70, 9, I 73, II 29.

2) Tac. hist. II 3; cf. Paus. VI 2, 4; Tatian ad Graec. p. 3 Oxon.

3) E variis Graeciae regionibus enumerantur extispices Herod. IX 37, IX 38, IX 95; Xen. Anab. VI 4, 13, VII 8, 10; Plut. Cim. 18; Philostr. Vit. Apol. VIII 7, 15.

4) III 3, 6.

5) V 31.

6) Ann. XIV 30.

7) VII 2, 3.

8) Ut testimoniorum numerum augeamus, liceat hoc Iornandis (c. 37) adnotare: Attila diffidens suis copiis, metuens inire conflictum statuit per aruspices futura inquirere qui more solito nunc pecorum fibras, nunc quasdam venas in abrasis ossibus intuentes Hunnis infausta denuntiant. Non facile errabimus illud *pecorum fibras* referentes ed extispicium.

9) p. 170 in fine.

nach den Weihnachtsfasten geschlachtet und sorgfältig ausgeweidet. Die Eingeweide legt man besonders in einen Scheffel; darauf aber beschauen zuerst die Männer, dann die Frauen mit grösster Aufmerksamkeit die Form des in der Mitte zurückgebliebenen Unschlitts und prophezeien daraus, wenn es schlapp ist, dass eine von den jungen Frauen im Hause ein weibliches und wenn es aufgeknospet ist, dass sie ein männliches Kind zur Welt bringen werde. Aliud haud spernendum exstat exemplum populi illius, quem vernacula lingua *Tungusen* vocare assuevimus[1]): *Um jemanden von seiner Krankheit zu befreien, wird ein Vogel oder grösser Thier geschlachtet und Leber und Blut hingestellt. Aus demselben sieht der Schaman die Krankheit und ihre Ursachen.*

Denique haud pauca exempla nobis praebent Britannorum itineraria. Legimus in libro, qui inscribitur *Polynesian Researches* a Guilelmo Ellis confecto vol. IV p. 150: *Whenever war was in contemplation, the poe kiro (diviners and priests) were directed to slay the accustomed victims and consult the gods. Animals only were used on these occasion, generally hogs and fowls. The priests offered their prayers, and the diviners sacrificed the victims, observed the manner in which they expired, the appearance of their entrails, and other signs. Sometimes, when the animal was slain, they embowelled it, took out the spleen, and, holding it in their hands, offered their prayers. If they did not receive an answer, war was deferred.* Similia tradit J. S. Polack[2]), *The New-Zealanders pluck the entrails from the (almost living) human victim, smoking with the warmth of animation. The traveller by this means ascertains whether the day be favourable or not for undertaking his journey, the fisherman is hopeless of piscivorous gains should he enforce his fortune in despite of the warning made by divination, the farmer hastens to plant, the slave to cut and dress flax, the females to work the loom, if the augurs state favourably, but should the contrary be proved, no dress will be commenced, no seine cast, no fish-hook baited, no ground turned up, seed sown, distant visit made, flax cut or dressed, timber cut, canoe formed, or even food partaken of.* Et Spenser

[1]) J. G. Georgi, *Bemerkungen einer Reise im russ. Reich im Jahr 1772*, vol. I p. 281.

[2]) *Manners and Customs of the New-Zealanders, Lond. 1840* vol. I p. 255.

St. John narrat[1]): *The principal sacrifice of the Sakarang Dayaks is killing a pig and examining its heart, which is supposed to foretel events with the utmost certainty. As an instance: should they find a dead animal on land prepared for a farm, according to their established custom, they should give it up, and commence a new one; but if the season for burning the jungle be passed, they endeavour to avert this loss by consulting the heart of a pig. The animal is sacrificed, and the greatest attention is given to the signs discovered upon his heart: if they be satisfactory, the farm land may be used; if not, it is completely abandoned.*[2]) Apud C. Ritterum geographum haec scriptum videmus[3]): *Die Priester (der Garos, Hinterindien) weissagen aus den Eingeweiden der Tiere zumal der Leber die Zukunft.* De populo illo, quem Britanni *Ghurwa(h)l* vocare solent traduntur haec[4]): *The omens are taken from the warm and reecking livers of sheep sacrificed for the purpose, whenever an undertaking of importance is in hand.* Et Th. Waitzius[5]) observavit: *An Priestern (Luba), welche die Opfer verrichten und aus den Eingeweiden der Opfertiere die Zukunft vorhersagen, fehlt es den Galla nirgends. — Den Damara*[6]) *ist das Loos-werfen, Traumdeuten und Wahrsagen aus den Eingeweiden nicht fremd. — In Peru*[7]) *verwandte man bei besonders wichtigen Angelegenheiten wie vor einem Auszug in den Krieg vielfach Vögel als Opfertiere und schlachtete einen schwarzen Widder. Mit dem Blut des Opfertiers bestrichen die Priester das Gesicht des Götzenbildes, die Türen der Tempel und Gräber und untersuchten Herz und Lungen desselben, um aus ihnen den Willen der Götter zu erkunden und Vorbedeutungen zu gewinnen. Waren*

---

1) *Life in the forests of the far East*, vol. I p. 63 f.; Heinr. Schurtz, *Urgeschichte der Kultur* p. 592; *Ausland* 1857 p. 604.

2) Simile exstat exemplum *of the Kayan nation* apud Spenserum l. l. p. 170.

3) *Erdkunde von Asien* IV 1 p. 404.

4) R. G. Latham, *Descriptive Ethnology* vol. I p. 61 seq.

5) *Anthropologie der Naturvölker* II p. 518.

6) Id. ib. p. 417.

7) Id. l. l. IV 460; cf. J. G. Müller, *Geschichte der amerikan. Urreligion* p. 400 et p. 656.

die Zeichen ungünstig, so wurde nicht selten das Opfer wiederholt, bis sich bessere einstellten.[1])

Quae exempla perlustrantes videmus totius fere orbis terrarum nationes extispicio vel fuisse vel adhuc esse deditas. Ac veri est simillimum apud eas gentes floruisse vel florere illud divinandi genus, quae exta habent pro sede vitae animaeque a deorum numine certis condicionibus datis occupata.

[1]) Cf. Romanorum *succidaneam* hostiam supra p. 53.

Caroli Bezold
De Babyloniorum extispicio supplementum:

Einige Bemerkungen zur babylonischen Leberschau.

Die Entdeckung der Leberschau (Hepatoskopie) bei den Babyloniern-Assyrern geht auf François Lenormant zurück, der in seinem „Choix de textes cunéiformes“ (Paris 1873 suiv.), p. 231 unter No. 88 den Inhalt einer Tafel der Bibliothek Sardanapal's bezeichnet als „Augures tirés de l'inspection du foie des animaux“. Indessen wurde grade diese Tafel (vgl. meinen „Überblick über die bab.-assyr. Literatur“, S. 194, No. 6), deren Original noch dazu wegen eines Schreibfehlers in Lenormant's Signatur (3686 statt 3683) bisher von niemandem kontrolliert werden konnte, nicht weiter beachtet. Unabhängig von Lenormant bezeichnete ich selbst in meinem „Catalogue“ der Kujundschik-Sammlung (p. 1602, sub Rm. 302) ein ähnliches Stück der Sammlung, das sich jetzt als Duplikat der Lenormantschen Tafel entpuppt, seinem Inhalt nach als „Omens derived from the condition of various parts of the body of certain animals“, und fast gleichzeitig entdeckte J. A. Knudtzon, „Assyrische Gebete an den Sonnengott“ (Leipzig 1893), S. 51 in den in diesen „Gebeten“ vorkommenden Omina „Verschiedenes, was mehr oder weniger deutlich für Haruspicium spricht“, und glaubt, „daß die Omina durchweg von Beobachtungen geschlachteter (geopferter) Tiere herrühren“. Während ich zunächst gegen seine Ansicht in dieser allgemeinen Fassung einwenden zu müssen glaubte (Zeitschr. f. Assyr. IX, 143),

„daß hier zum Teil wohl mathematisch-astrologische Vorbedeutungen“ vorliegen, schien Jensen Knudtzon beizupflichten, indem er (Lit. Centrbl. 1894, Sp. 53) die betreffenden Omina mit der Antwort auf die Anfragen an den Sonnengott in Verbindung brachte, die „vom Opferschauer nach dem Sektionsbefund an einem geschlachteten Lamm erteilt ward“.

Ein tieferes Eindringen in die Natur der von der Leberschau handelnden Omentexte gelang erst A. Boissier, der in seinen „Documents assyriens relatifs aux présages“ (Paris (1894—99) mehrere dieser Inschriften nach seinen Kopien der Londoner Originale veröffentlichte. Besonders wichtig war dabei Boissier's Vermutung, daß gewisse Zeichnungen neben dem Kontext auf solchen Tafeln, z. B. auf K. 1999, nicht, wie bisher angenommen, als geometrische Darstellungen, sondern als die Umrisse der Körperteile von Opfertieren zu deuten seien (vgl. seine „Documents“, 2. livr., 1896, Introd., p. II und dazu die Photographie am Schluß des Heftes). Zur Gewißheit wurde diese Vermutung erhoben durch einen mit Inschriften besäten Terracotta-Gegenstand, der vom Britischen Museum 1889 erworben und von Pinches in den „Cuneiform Texts from Babylonian Tablets, &c.“, part VI (London 1898) in Photographie und Handzeichnung veröffentlicht wurde. Alle Assyriologen, die diesen Gegenstand im Britischen Museum sahen, waren darüber einig, daß er eine Leber darstelle, und dem entspricht auch die offizielle Erklärung in der Einleitung des betr. Teiles der „Cuneiform Texts“: „the texts inscribed upon the unique object, which has been thought to represent a human liver, probably refer to Babylonian magic“. Boissier widmete darauf dem Gegenstand, den er als Hammelleber anspricht, und der Deutung der betr. Inschriften eine eigene Monographie: „Note sur un monument babylonien se rapportant à l'extispicine“ (Genève 1899), in der er zu dem wichtigen Schluß kam, daß das Ideogramm ChAR in den von ihm früher edierten Omen-Texten wie K. 1999 (s. o.) in der Tat die „Leber“ bezeichnet. Ein weiteres Verdienst erwarb sich derselbe Gelehrte dadurch, daß er in dem fragmentarischen Tonmodell Rm. 620, das von Pinches und mir als die Nachbildung des Hufes eines Ochsen bezeichnet wurde — ein

Fehler, der dann natürlich auch in den neuesten „Guide“ des Brit. Museums überging —, gleichfalls das Bruchstück einer Leber erkannte, wozu die darauf befindliche Inschrift trefflich paßt: letztere hatte ich schon im „Catalogue“ p. 1628 als „Forecasts concerning SchU. SI and ChAR &c.“ gedeutet, ohne freilich damals die Bedeutung von ChAR zu kennen. Diese Entdeckung Boissier's, die er in einer Monographie „Note sur un nouveau document se rapportant à l'extispicine“ (Genève 1901) veröffentlichte, bedeutet einen entschiedenen Fortschritt in der Erforschung der babylonischen Leberschau, während seine gezwungene Etymologie von lat. *haruspex* aus dem Ideogramm ChAR (in den „Mémoires de la Société de Linguistique de Paris“, t. XI, p. 330, t. XII, p. 35) vorerst lieber auf sich beruhen bleibe.

Die beste und relativ vollständigste Zusammenfassung über die babylonische Hepatoskopie findet sich in Zimmern's „Beiträge zur Kenntnis der babylonischen Religion“ (Leipzig 1901), S. 84f., der noch folgende wichtige Punkte zu entnehmen sind: 1. daß, wie schon Lenormant bemerkte, die neugefundenen Keilschrifttexte die Nachrichten bei Ezech. 21, 26 und bei Diod. Sic. II, 29 bestätigen; 2. daß ChAR in der Tat durch assyrisch *kabittu* „Leber“ erklärt wird; 3. daß die Zeichnungen auf K. 1999 in der Tat eine Leber darstellen; 4. daß die Termini technici der ChAR-Omina sich in den Texten des sog. bārū-Rituals wiederholen, mithin „gewiß die Leberschau eine der hauptsächlichsten Obliegenheiten des bārū“-Priesters gebildet hat.

Von der übrigen Literatur über den Gegenstand, die mir bekannt geworden ist, beschränke ich mich hier auf knappe Nachweise: M. Jastrow, „The religion of Babylonia and Assyria“ (Boston 1898), p. 337; von Oefele, Zeitschrift f. Alttestamentliche Wissenschaft XX (1900), S. 311ff. (über Ezech. 21, 26); derselbe in Neuburger und Pagel's „Handbuch der Geschichte der Medizin“ I (Jena 1901), S. 92, in der „Deutschen Medicinischen Presse“ 1901, No. 24 (S. 6 des Separatabzugs — wo die Terracotta-Nachbildung der „Cuneif. Texts“ als Ziegenleber bezeichnet wird) und in „Der alte Orient“ IV 2 (Leipzig 1902), S. 48; 2. Aufl. (1904), S. 15;

ferner Winckler, ebend. III 2/3 (Lpz. 1901), S. 41 (2. Aufl., 1903, S. 44), Anm. 1; L. Stieda's „Anatomisch-archaeologische Studien" (Wiesbaden 1901), und endlich Küchler, „Beiträge zur Kenntnis der assyrisch-babylonischen Medizin" (Leipzig 1904). S. 100.

Der Schwerpunkt der richtigen Beurteilung der obigen Ausführungen liegt in der Beantwortung der Frage, ob in der Tat ChAR = *kabittu* = „Leber" ist. Die Gleichung ChAR = *ka-bi-du* hat vor zwanzig Jahren Straßmaier mitgeteilt, und Meißner, „Supplement zu den ass. Wörterb." (Leiden 1898), S. 44 hat in *kabidu* sehr ansprechend „vielleicht eine westländische כָּבֵד entsprechende Form" vermutet.[1]) ChAR = *ka*-BIT-*ti* hat Zimmern, „Beiträge" S. 84, N. 1 aus K. 4807 erschlossen. Die rein syllabisch geschriebene Form *ka-ba-at-ta* las ich 1889 auf einem Nabonid-Zylinder (Proceed. of the Soc. of Bibl. Archaeology XI, p. 95, l. 50); da nun in diesem Worte die Lesung *bit* für BAT nur aus einer einzigen Variante (auf dem großen Asurbanipal-Prisma I, 64) hervorzugehen scheint, so ist statt *ka*-BAT-*tu* mit Rücksicht auf jene syllabische Schreibung vielleicht regelmäßig *kabattu* zu lesen, eine Ansicht, die jetzt auch Delitzsch („Assyr. Lesestücke", 4. Aufl. Lpz. 1900, S. 168b) zu vertreten scheint. Eine weitere Bestätigung von ChAR = *kabattu* enthält das unveröffentlichte Fragment eines zweisprachigen Gebets in Litaneiform K. 4891, wo ChAR (+ MU) einmal durch *ka-bat-ta*, ein andermal durch *ka-bat-tim* wiedergegeben wird. ChAR ist also sicher = *kabattu* (bzw. *kabidu*, bzw. *kabittu* (?)). Nun wird *kabattu* (*kabittu*) allerdings von Delitzsch („Handwörterbuch" 317a, „Lesest." a. a. O.) mit „Gemüt" wiedergegeben; Jensen hat („Assyrisch-babyl. Mythen und Epen", Berlin 1900, S. 316) unter Vergleichung des Arabischen mit Recht geltend gemacht, daß die ursprünglichere Bedeutung des Wortes „Bauch" (eigentlich „der Schwere") sein wird und daß *kabattu* „als Sitz von Gemütsbewegungen zunächst ebensogut der Inhalt der Bauchhöhle oder der Bauch mit Zu-

---

[1]) **Analog dürfte die Schreibung *ga-bi-ti-ja* Tell-el-Amarna London 29, 39 zu beurteilen sein.**

behör wie vielleicht die Leber sein könnte"; endlich meint Küchler (a. a. O.), „daß das Zeichen ChAR jedenfalls auch die Leber bezeichnet und die Lesung *kabittu*" [*kabattu*] „hat; in der Bedeutung „Leber" ist es aber nicht mit Sicherheit *kabittu*" [*kabattu*] „zu lesen, während dies sicher den Bauch bezeichnet".

Diese Auseinandersetzung schien mir unerläßlich, um darzutun, daß von der Lesung des Ideogramms ChAR die Bedeutung dieses Ideogramms als „Leber" in den Omentexten wie K. 1999 und den damit zusammenhängenden Inschriften völlig unbeeinflußt ist, eine Bedeutung, die nach Boissier's Ausführungen und Zimmern's Deutung der Zeichnungen von K. 1999 sogut wie zweifellos ist. [1])

Sichtet man auf der Grundlage dieser Kenntnisse das vorliegende Inschriftenmaterial, so ergibt sich die, wie es scheint, bisher völlig übersehene Tatsache, daß die Kujundchiksammlung eine eigene Serie von Tafeln mit Leberschau-Omina enthält, zu der sogar ein alter Katalog vorhanden ist. Boissier, der mit Bezug auf die Omentexte der Meinung Ausdruck verleiht: „publier ces documents par ordre de „séries" ne me semble pas necessaire pour le moment", hat sich dadurch, obwohl er selbst jenen Katalog publiziert hat, das Verständnis für seinen Inhalt verschlossen. Vergleicht man aber an der Hand meines „Catalogue" die Angaben des alten Katalogs mit den Tafel-Stücken der Kujundschiksammlung, so erhält man folgende Zusammenstellung: Der Name der Serie, von den Anfangsworten der ersten Tafel genommen, lautet: „Wenn die Leber aus einem Schafbock hervorleuchtet". Von der ersten Tafel ist nur ein Stück der linken Hälfte erhalten (K. 11618), ebenso von der zweiten Tafel (K. 4135). Die Tafeln 3 bis 7 sind bis jetzt noch nicht wiederzufinden, nur die Anfänge je ihrer ersten Zeilen sind aus dem alten Katalog ersichtlich, dem zugleich zu entnehmen ist, daß Tafel 6 eine Länge von 66, Tafel 7 eine solche von

---

[1]) In diesem Falle ist natürlich auch auf K. 11340 ChAR, das ich in meinem „Catalogue" p. 1157 noch durch „lungs (?)" wiedergab, mit „Leber" zu übersetzen.

136 Zeilen hatte. Teile der Tafeln 8 und 9 sind auf einem Stück der Sammlung (Rm. 2, No. 101) mit 49 Zeilenanfängen erhalten, mit dem zusammen vielleicht K. 205 früher eine Tafel bildete. Überdies ist die obere Hälfte der „9. Tafel" der Serie nochmal separat vorhanden auf K. 8690, dem einzigen Stück der Serie, das bisher publiziert ist (von Lenormant, „Choix" p. 236 suiv., No. 91). Tafel 10 wird durch 24 Zeilen auf dem Fragment 80—7—19, No. 277 repräsentiert, Tafel 11 durch 45 Zeilenanfänge auf K. 2265 und Tafel 13 durch drei den gleichen Text enthaltende Fragmente (K. 2678, K. 2683 und 83—1—18, No. 429), von denen die ersten beiden aus dem Jahre 711 v. Chr. datiert sind. Von Tafel 12 und 14 sind wiederum nur die Anfänge ihrer ersten Zeilen und die Gesamtsumme ihrer Zeilen (128 bzw. 110) aus dem alten Katalog ersichtlich, der außer bei Boissier („Doc." p. 41) auch in photographischer Nachbildung auf plate I des V. Bds. m. „Catalogue" und daraus wiederholt in meiner Monographie „Ninive und Babylon", 2. Aufl., Bielefeld 1903, S. 104, Abb. 83 wiedergegeben ist.[1])

Es läßt sich nun leicht durch eine Vergleichung des Inhalts dieser 14 Tafeln mit den übrigen im „Catal." p. 2011 —2015 verzeichneten Stücken eruieren, welche von ihnen gleichfalls der obigen „Serie" zuzuweisen sind. Wie lohnend eine solche Aufgabe für jeden assyriologischen Besucher oder Residenten des Britischen Museums sein wird, dürfte schon daraus hervorgehen, daß die Zahl der sich mit Bestimmtheit zum Vergleich bietenden Stücke ca. 250 beträgt. Manche dieser Tafeln, wie KK. 3156, 4111, 4121, 4123, 5769, 8775, 12370 etc. machen es auf den ersten Blick wahrscheinlich, daß sie zu der Serie zu rechnen sind. Bei anderen wird die Zugehörigkeit dadurch erwiesen werden, daß auf ihnen die gleiche Zeichnung der „Leber" wie auf K. 1999 (s. o.) angebracht ist. Dies ist sicher der Fall bei K. 99, K. 2086, K. 2091 und vermutlich auf noch manchen anderen der „Cat." p. 2031 sub „Geometrical figures" mitgeteilten Fragmente.

---

[1]) Vgl. jetzt auch Heft XX der „Cuneiform Texts" (1904), Taf. 1 und das Lit. Zentrbl. 1904, Sp. 1627. [Correctur-Note.]

Es ist mit großer Wahrscheinlichkeit vorauszusagen, daß bei diesen Studien auch eine ganze Menge von Bruchstücken zu ganzen Tafeln vereinigt werden können. Insbesondere dürfte dies bei den verhältnismäßig sehr wenigen in babylonischer Schrift aufgezeichneten Texten dieser Klasse gelingen, die ich für diesen Zweck hier zusammenstelle: KK. 4113, 11556, 11912, 12210, 12257, 12593; RRm. 106, 300; RRm. 2, Nos. 102, 111 und 551.

Selbstverständlich wird sich erst nach dieser systematischen Arbeit, die nur im Britischen Museum vorgenommen werden kann, ein volles Verständnis der Inschriften erzielen lassen, zu deren Enträtselung im einzelnen Boissier (besonders in der „Introduction“ zum 2. Heft seiner „Documents“) einige dankenswerte Vermutungen geäußert hat. Wenn irgendwo so scheint hier ein Zusammenarbeiten des Mediziners bzw. Zoologen mit dem Assyriologen dringend geboten.

Heidelberg, den 2. August 1904.

C. Bezold.

Tab. I




Fig. 2




Fig. 1

Tab. II



Fig. 1



Fig. 2



Fig. 3



Fig. 4

Tab. III



Fig. 1



Fig. 2



Fig. 3

28

Blecher, Georg
  De extispicio capita tria scripsit et imaginibus illustravit Georgius Blecher.